

Tractatus de lege haereditatis atque de suicidio hominis amentis ac sanae mentis indicans etiam remedia contra taedium vitae et desperationem

<https://hdl.handle.net/1874/236521>

TRACTATUS

De lege hæreditatis atque de suicidio

hominis amentis ac sanæ mentis

INDICANS ETIAM

remedia contra tædium vitæ et desperationem

AUCTORE

V. A. SPRENGERS.

RECTOR INSTITUTI MENTE-CAPTORUM IN FUNDO
„VOORBURG” LOCI DE VUCHT.



AMSTELODAMI.

W. VAN GULICK.

TORNACI

EDITOR

1895.

UB-ZUID
MEG
3 - 22

PARISIIS
Apud Libr. Cath.
via Bonaparte 66.



TRACTATUS

De lege hæreditatis atque de suicidio.



BIBLIOTHEEK UNIVERSITEIT UTRECHT



2949 445 1

272

TRACTATUS

De lege hæreditatis atque de suicidio

hominis amentis ac sanæ mentis

INDICANS ETIAM

remedia contra fœdium vitæ et desperationem

AUCTORE

V. A. SPRENGERS.

RECTOR INSTITUTI MENTE-CAPTORUM IN FUNDO „VOORBURG”
LOCI DE VUCHT.




AMSTELODAMI.

W. VAN GULICK.

TORNACI
Apud Casterman.

EDITOR
1895.

PARISIIS
Apud Libr. Cath.
via Bonaparte 66.



IMPRIMATUR.

Haaren, 13 Apr. 1895.

L. BERKVENS,

Libr.-Censor.





PROOEMIUM.



L'aveugle suicide étend son aile sombre,
Et prend à chaque instant plus d'âmes sous son ombre.
VICTOR HUGO, 1835.



„Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.” 1)
Cor illud corruptum scientiæ imposuit onus difficile:
naturale lumen rationis negligendo, unice laborandi ad
hoc, ut argumentis vanis humanitatis doceret divinitatem.

Ecce, scientia illa, quæ juxta Apostolum inflat, animos
ad intolerabilem superbiam inflavit. Et humanitas, quæ
fide divina crediderat, se peccato Adami, secundum
animam et corpus in deterius commutatam et claudi-
cantem in via veritatis; humanitas, quæ cum gratula-
tione duos baculos ad gradiendum a Salvatore receperat,
nempe: religionem et perfectam legem moralem; nunc
scientia decepta, baculos illos rejecit.

1) Ps. XIII, 1.

Sed eheu, misereri oportet super turbam, quæ scientia ebria, vertiginem abyssi sentit. 1)

Vacillans invocat scientiam; illa offert principia plurima, quæ autem sicut arundines tenues franguntur.

* *
*

Sacerdotes Baal, uti narratur in tertio libro Regum, „invocabant nomen Baal de mane ad meridiem, dicentes: Baal, audi nos. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit.” 2)

Ast deus modernæ scientiæ: humanitas, non in diversorio est, sed in carcere jacet, vel in domo amentium inclusus est; non tantum dormit, sed si venarum ejus pulsum attingimus, infirmitatem gravem contestari debemus, nempe: tedium vitæ ac inclinationem vehementem ad suicidium.

Jam multi medici ad infirmum deum accesserunt: Socialistæ, anarchistæ, etc., sed morbus in dies ingravescit, quia medicina eorum furorem addidit tædio.

Alii medici morbum non satis inspexerunt, causam quærentes in defectu cerebri, dum in stultitia cordis latitat.

Multi medici, cum maxima patientia morbum inspexerunt, et gravissimum dixerunt, pertinentem ad quæ-

1) cfr. Pars I. q, XV. — 2) 3 Reg. XII. 26, I 27.

tionem socialem hujus temporis. 1) Omnem suam scientiam laudabiliter adhibuerunt, ut novas medicinas contra tædium et suicidium invenirent, quas in operibus, quæ scripserunt indicaverunt.

Sed quia vulnus maxime in corde est, ideo consilium dederunt: „inducat presbyteros Ecclesiæ.” 2)

Non autem omnes, qui inclinatione ad suicidium laborant, medicina Ecclesiæ indigent. Nam inter illos sunt, qui lege hæreditatis ac amentia ad talem statum venerunt.

Ideo antequam sermonem ad melancholicos dirigimus, prius videndum: an non signa a medicis, iudicibus, philosophis assignata in iis inveniantur.

In maxima autem parte illorum qui inclinationem ad suicidium habent, illa signa deerunt.

Maxima pars non voluit intelligere, quod dicit Apostolus: „nemo sibi vivit”; ideo in incredulitate vel libidine sibi i.e. malis passionibus suis vixcrunt, et tædio repleti jam vellent facere, quod idem Apostolus prohibet: „nemo sibi moritur.” 3)

Ad hos præsertim diriguntur adhortationes de vera fortitudine; his, simul cum medicis et iudicibus, quorum cor vere humanum, ad hos miseros religionem advoca-

1) cfr. Brière de Boismont. Du suicide p. IX. — 2) Jac. V. 14. — 3) ad Rom. XIV. 7.

vit, medicina vera, efficax et suavis in hoc tractatu proponitur.

* * *

Lector amice.

Medicamen si salubre est, parvi refert sive involucrum deauratum sit, sive non. Idcirco errata quæ irrepserunt, pro tua benevolentia corrige et ignosce.



PARS I.

De suicidio hominis amentis.







"**A**mentia est unum ex ænigmatibus inenodabilibus artis medicinalis;..... origo ejus obscura; sanatio ejus desperata. Naturam ejus tam sapientes quam philosophi ignorant, et post tot labores infructuosos temeritas dici potest velle illam intelligere." Ita Dr. Surbled. 1)

Quam difficile in casu particulari præsentiam vel absentiam amentiae et imputabilitatis confirmare! Et ecce, schola anthropologiae sine ullo scrupulo affirmat et docet: Sanctos fuisse amentes, criminosos esse amentes. „Dum homines maxime ingeniosos, heroicos et sanctos declarant amentes, maxime criminosos contemptui et indignationi subtrahere conantur, dicit Proal. 2)

Amentia in manibus incredulorum, uti v.g. Dr. Calmeil, Dr. Büchner, Dr. Despine videtur clavis aptata ad omnem seram aperiendam. Omnes homines olim erraverunt; historici, qui facta præclara laudaverunt, insaniae

1) In Ephemeride Science Cath T. VIII, p. 601. — 2) Crime et Peine p. 129.

laudem scripserunt; omnia judicia Ecclesiae, tum de Sanctis, tum de possessis a dæmone erronea; omnes sententiæ judicum falsæ fuerunt.

„Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ?..... Perditio et mors” (i.e. homines perdit et mortui) „dixerunt: auribus audivimus famam ejus!” 1) Theologia, jurisprudentia et historia quasi perditio considerantur et quæ usque nunc auribus tantum famam sapientiæ audiverunt. Si autem sapientiam invenire desideras, pro theologia præsertim mystica, adire debes dr. Charcot, pro jurisprudentia Dr. Lombroso et Despine, pro historia sacra vel profana Renan et Littré. Si ad illos dirigis verba Job. XII 1.: „Ergo vos estis soli homines et vobiscum morietur sapientia?” — Sine pudore affirmant. Nam Nero, Caligula, Communistæ Parisienses etc. excusandi sunt propter atavismum vel necessariam mentis corruptionem; e contra ipse princeps Apostolorum, S. Petrus et S. Catharina cum omnibus extaticis, juxta Calmeil, fuerunt hallucinantes.

Nonne ergo ipsi soli homines sunt, qui post tot sæcula in factis præteritis invenerunt amentiam, et qui soli apti sunt ad judicandum de factis præsentibus vel futuris?

Merito ipsis applicare possumus responsum Job: (Deus) „adducit consiliarios in stultum finem et judices in

1) Job. XXVIII, 12, 22.

stuporem" i.e. juxta Menochium: reddit illos fatuos et stupidos. „Palpabunt quasi in tenebris et non in luce et errare eos faciet quasi ebrios." 1.

Nam quasi ebrii stulta loquuntur de supradictis, sed etiam de suicidio, quod nunc extollunt quasi actum fortitudinis, tunc iterum quasi amentiam excusant. De peccato nulla amplius quæstio est. Tantam seriem verborum novorum ex compositione linguæ Græcæ et Latinæ fecerunt, ut omnia crimina, etiam suicidium facile sub uno vel altero nomine morbi cerebrosi ordinari possit. Sed uti in subsequentibus, ex probatis auctoribus, videbimus, veritatem confirmant verbi Eccli XXI. 21: „Scientia insensati inenarrabilia verba."

„Non satis oppugnare possumus paradoxum amentiae, tamquam unicam explicationem suicidii." Ita dr. Brière de Boismont. 2)

Legoyt dicit: difficulter obtinentur declarationes veraces, nam quamvis familiae certo sciant causas, raro illas revelant et vulgo amentiam invocant. 3)

Dr. Debreyne refutans dr. Bourdin, — qui omne suicidium actum amentiae reputat, nec laude nec vituperio dignum, — passiones inordinatas sæpe sæpius tamquam causam assignat. Et generatim dicit: „Si suicida cujusvis conditionis vel aetatis proximis non est notus tamquam mente captus, statim affirmare poteris,

1) XII. 17, 25. — 2) Du Suicide p. 417. — 3) Du Suicide p. 329.

eum fuisse sine religione, saltem sine religione practica, vel in summa religionis ignorantia." 1)

* *

Ad dijudicandum utrum in casu particulari adfuerit amentia excusans vel auferens peccatum, variæ circumstantiæ considerari debent, præsertim: quis, ubi, cur, quomodo.

Circumstantia : Quis.

IN DIJUDICANDA HAC CIRCUMSTANTIA PRIUS LEX HÆREDITATIS INSPICIENDA EST, NAM ETIAM IN HOC CASU USUVENIRE POTEST.

DE LEGE HÆREDITATIS.

* *

I. An singula anima immediate a Deo creatur?

Affirmative juxta doctrinam S. Ecclesiæ. Dein in diversis locis S. Scripturæ hæc doctrina invenitur. Ecclesiastes enim dicit: „revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, Qui dedit illum" 2) — psalmista autem habet: „Qui finxit singulatim corda eorum" 3) et propheta Zacharias: „fingens spiritum hominis in eo." 4)

* *

1) Du Suicide p. 27, 30. — 2) Eccl. XII. 7. — 3) Ps. XXXII. 15.
4) Zach. XII. 1.

II. An omnes animæ quando creantur æque perfectæ?

Inter auctores disputatur, utrum animæ, quamvis ejusdem sint naturæ, tamen diversis perfectionis qualitatibus ornatae, a Deo infundantur corporibus, propter illud Sapientiae 1) „Sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.” i.e. Secundum Estium: cum essem bonam sortitus animam, insuper sortitus sum corpus pulchrum, sanum, robustum. Quamvis enim opera Dei vitiosa esse nequeant, tamen non repugnat unam animam magis perfectam esse quam aliam. Job etiam dicit: 2) „ab infantia mea crevit mecum miseratio.”

„Quando dicimus, Sapientem (loco citato) supposuisse omnes animas, sicut etiam omnia corpora non æqualiter dispositas esse ad bonum, ad sapientiam; nihil affirmamus, quod admitti non posset.” Curs. Compl. Script. S. XVII. l'abbé de Vence.

S. Augustinus ibidem citatus, omnem differentiam in corporibus quaerit, sicut et S. Thomas citatus apud Vallet 3): „Secundum divisionem materiæ, sunt animæ multæ unius speciei.”

* *
*

III. Sed quamvis admitteretur: animas a Deo diversis perfectionibus ornatas creari, numquam tamen vitium

1) Sap. VIII, 19. — 2) Job. XXXI, 18. — 3) Vallet, La vie et l'hérédité, p. 315.

animæ innatum esse potest. — Quomodo ergo explicanda illa dispositio ad certa vitia?

Ex opere citato Vallet, qui sequitur S. Thomam, substantiatenus assumpsi sequentia: „Cum anima corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, eo quod omne receptum est in recipiente per modum recipientis.” S. Thomas apud Vallet p. 315. Corpus autem quod recipit animam subjacet legi hæreditatis. Hac lege qualitates ordinis physiologici de parentibus transeunt ad filios, ut v. g. forma et sanitas corporis, longævitas vel e contra infirmitas. Eidem legi subjacent facultates psychologicæ sentiendi et imaginandi; etiam passiones, juxta illud S. Thomæ: „iracundus generat iracundum.” 1) Eadem lex extendenda est ad facultates superiores: „Si natura fuerit fortis, accidentia etiam individualia propagantur in filios, pertinentia ad dispositionem naturæ, sicut velocitas corporis et bonitas ingenii.” S. Thomas ap. Vallet p. 262, qui addit: „quando attendimus ad diversas formas ingenii, uti sunt: ingenium practicum, criticum, acutum etc. inveniemus illa subjecta legi hæreditatis.”

Quanto magis facultates superiores sunt, uti v. g. abstrahendi, philosophandi, eo minus sentiunt legem hæreditatis; sicut etiam minus affectus quam passiones, quia magis a materia distant.

1) cfr. Ephemerides: De Katholiek, Deel CIII p. 216.

Ergo : Operationes animæ quæ exercentur per organa corporalia dependent ab his organis; quæ si hæreditate vitiosa recepta sunt, potentia animæ etiam deficiet. Intellectus autem et voluntas non dependent a materia, sed quia anima conjuncta est corpori, de potentia ad actum lente transit, cum auxilio sensuum.

Exercitium facultatum superiorum incipit a sensibus, et ideo si sensus boni sunt, actus facultatum faciles erunt. Imaginatio et memoria præparant intellectui proprium objectum; imaginatio et memoria vero ex sensibus exterioribus accipiunt imagines suas.

Conclusio : Si sensus vitiosi sunt, deficient imaginatio et memoria et sic indirecte intellectum deficere facient.

* * *

IV. A quibus hæc hæreditas recipitur?

Non semper a parentibus, sed sæpe etiam ab avis, et tunc dicitur mediata vel atavismns, quæ directa est si ab avis, indirecta si hæreditas transit ab avunculo vel matertera. Plutarchus, apud Vallet, narrat de muliere Græca, quod filium habuerit nigri coloris, quodque accusata de adulterio inventa fuerit in quarto gradu descendisse ab aliquo Ethiopo.

Hæreditas autem frequentius est immediata a propriis parentibus, et semper a duobus simul aliqua qualitas recipitur, sed unius qualitas semper præponderat. Vallet exemplum refert Lislet-Geoffroy cujus mater stupida et

nigra ipsi dedit corpus nigrum; cujus pater albus facultates inferiores transire fecit, ita ut postea aptus fuerit ad munus publicum (ingenieur).

Hæc hæreditas juxta aliquos auctores frequentius transit a patre ad filiam et a matre ad filium, et ita explicant, quare tam multi homines maxime eruditi, stupidos filios habuerint.

Juxta Dr. Voisin (L'idiotie p. 16) hæreditas amentię sive directa sive indirecta pro $\frac{2}{3}$ magis transit a matre in infantes. Et etiam hæc amentia, non sicut alię hæreditates, transit ordinarie a patre in filiam et a matre in filium, sed a matre in filias. Et sic p. 17. explicat, quare plures amentes sunt sexus feminini quam masculini.

* *
*

V. Quando hæc hæreditas apparet?

Vulgo ab infantia, sed si apud parentes v. g. morbus in certa ætate apparuit, etiam apud filios eadem ætate apparebit. Esquirol, apud Vallet, narrat quod in certa familia omnia membra anno quadragesimo ætatis in amentiam inciderint.

* *
*

VI. An lex hæreditatis certa?

Nequaquam, sed juxta Vallet, qui affert auctoritatem Ribot, lex contingens est, quę nempe a certis determinatis circumstantiis dependet.

* *
*

VII. Quid ergo incertam reddit legem hæreditatis?

1° Duplex causa generationis, pater nempe et mater.

2° Quia parentes sæpe in filios transmittunt non qualitates suas, sed avorum quæ apud parentes latentes manserunt.

3° Quia vis illa hæreditaria unaquaque generatione diminuitur.

4° Quia qualitates hæreditariæ transeundo mutantur; v. g. si parentes amentes sunt, infantes possunt esse epileptici tantum. Dr. Voisin in O. C. dicit: „morbi mentales raro sub eadem forma transeunt, sed pro $\frac{3}{4}$ transformantur.

5° Dispositio parentum tum corporis, tum animæ actualis in ipso momento procreationis, v. g. ebrietas; vel tempore gestationis; nam hic usuvenit dictum Leibnitz: „præsens gravidum est futuro.”

6° Qualitates ex hæreditate acceptæ oppugnantur per medium (le milieu) i.e. per circumstantias externas in quibus homo vivit, v. g. nutrimenti, aëris, societatis etc. Et ita explicari potest, quomodo ex infantibus eorundem parentum, unus in morbum parentum incidat, alius non; quia nempe non vixerunt in iisdem circumstantiis.

7° Institutio et educatio qualitatibus vitiosis ex hæreditate receptis contraire, iisque aliam directionem dare possunt. Sic eos qui non totaliter idiotæ sunt aliquibus, etsi minimis scientiis instruere possumus. Educatio

autem moralis, præsertim in juventute, malas inclinationes et dispositiones dirigere potest ad virtutum exercitium.

* *

VIII. An lex hæreditatis ita determinat hominem, ut liberum arbitrium tollat?

Hoc dicunt illi qui doctrinam Determinismi sequuntur, errantes in eo, quod ex hæreditate omnes perfectiones vel omnia vitia hominis deducant. Errant autem valde, nam, uti vidimus in quæstione I, anima humana immediate a Deo creatur, et sicut in quæstione VII diximus, corporis qualitates ex hæreditate parentum receptæ, variis circumstantiis, institutione et educatione oppugnantur. Si autem, uti vellent Deterministæ, totus homo cum anima et corpore a parentibus descenderet, etiam libertas parentum transire ad infantes deberet.

* *

IX. Quare hæreditas defectuum non obest libertati?

Quia sicut generatio non transmittit statum morbosum, sed tantum germina morborum, sic nec actum peccati vel virtutis, sed dispositiones tantum ad actum moralem. Et sicut ad exstinguenda vel comminuenda hæc germina morborum potest quis adire medicum; sic pro dispositionibus malis ad peccata exstat medicina religionis. Voluntas hominis quæ, quamdiu intellectus morbo amentiae non est impeditus, semper libera manet, medi-

cinam illam religionis vel adhibere vel negligere potest. „Iracundus generat iracundum” dicit S. Thomas. Sed generatus tantum habebit dispositionem ad iracundiam. Huic dispositioni potest indulgere et sic ad actum iracundiæ perveniet; — potest resistere ope religionis et perveniet ad actum mansuetudinis, sicut S. Franciscus Salesius et S. Vincentius a Paulo, qui natura sua ad iram dispositi erant. Postquam autem semel indulsit pravis dispositionibus, sicut S. Augustinus, adhuc liber manet, gratiam Dei invocando et cooperando cum gratia, contrariam virtutem exercendi.



X. An ergo existit criminosus-natus, sicut nascitur quis cæcus vel claudus?

David in ps. l. 6. dicit: „ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.” Hoc omnes homines (præter B. M. Virgo) dicere debent, quia psalmista loquitur de peccato originali, ex quo facti sumus infirmi et proclives ad peccandum. Sed David se ideo non excusat, nam dicit etiam: „Tibi soli peccavi et malum coram Te feci; petit insuper: „averte faciem Tuam a peccatis meis.” — Ecclesia Catholica docet: hominem per peccatum originale secundum corpus et animam in deterius esse commutatum; sed numquam ideo excusavit peccata vel necessaria putavit. Nec Deus post peccatum Adami commissum homicidium

Caïn is excusavit, sed dixit: „nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus et tu dominaberis illius.” 1)

Et Christus, quando Pharizæos „Cæcos” vocat, an ideo eos excusat, quod doctrinam Suam intelligere non possunt? Quando eos alloquitur: „Serpentes et genimina viperarum;” an illos tamquam criminosos natos inculpato reputat? Nequaquam, sed immediate addit: „quomodo fugietis a judicio gehennae?”

* *
*

Olim hæretici, ex peccato originali liberum arbitrium extinctum reputantes, ex hoc ad necessitatem peccati concludebant; hodie vero propter defectum fidei, non audent amplius loqui de peccato originali. Idem tamen quod hæretici cupientes, nempe: excusationes in peccato, aures præbent doctrinae Darwinisticae de origine hominum; et ecce, Dr. Lombroso cum suis ad eandem conclusionem pervenit: hominem non esse liberum. Ad tales, non, sicut ad hæreticos, dicere possumus: „Scrutamini Scripturas,” quia Scripturas, ut verbum Dei, non agnoscunt. Ideo melius erit, auctoritate eorum qui scientiam venerantur, eos refutare.

* *
*

1) Gen. IV. 7.

Merito dicit 1) Proal: „Si homo criminosus nascitur, si non potest resistere pravis inclinationibus, tunc etiam semper perverse agat. Lupus semper agit ut lupus. Ast fur non semper agit ut fur; iudices enim sæpe vident, in olim condemnatis propter furtum, signa certa probitatis. Jam vero, hæc mutatio nonne probat: hominem posse semetipsum emendare? Si crimen hæreditarium esset, eodem modo virtus hæreditaria esse deberet. Experientia vero quotidiana probat: parentes maxime probos sæpe infantes perversos et criminosos habere. Si crimen hæreditarium esset, criminosi deberent ex parentibus criminosis nasci. Sed ex praxi mea iudicis patet, accusatos valde frequenter habere parentes honestos.” Dein dicit: 2)

„Interdum videmus infantes natura sua habentes maximam inclinationem ad crimina. Sed hæc inclinatio potest esse sequela vitiosae conformationis cerebri transmissae a parentibus. Sed tunc agitur de morbo, et hi male generati et ægri ad artem medicinalem relegandi sunt. Tunc enim quaestio est non de hæreditate criminis, sed de hæreditate morbi..... Transmissio hæreditaria inclinationis, temperamentis, indolis confundi non debet cum transmissione virtutis vel peccati. Inclinatio favere potest exercitationi virtutis vel criminis, sed non creat necessitatem faciendi virtutem vel crimen. Inclinatio

1) Crime et Peine p. 91. 96 — 2) Crime et Peine p. 98.

perversa hæreditate transmissa potest et debet oppugnari. Illi qui concludunt de hæreditate inclinationis ad hæreditatem actus, ad illam conclusionem non pervenerunt observatione factorum, sed negatione liberi arbitrii.... Dr. P. Lucas, qui de hæreditate scripsit librum maxime memorabilem, non negat liberum arbitrium, quo malas inclinationes hæreditarias æque ac periculum mali exempli et societatis malæ oppugnare possumus." Proal denique dicit: sensum communem, sensum intimum et experientiam judicum doctrinam de criminoso-nato condemnare, et concludit: „observatio confirmat quidem differentiam propensionum hæreditariarum, sed etiam: non existere homines, qui nullam aliam inclinationem sentiunt nisi ad crimina, nec homines qui nullam aliam inclinationem habent nisi ad virtutes. Omnes homines plus minusve debent luctari, ut resistant malis inclinationibus et ut bonas ad victoriam ducant. Sicut luctamen dispar est, ita meritum et culpabilitas inæqualia sunt. Ideo iudicis officium est, ut rationem ducat imputabilitatis inæqualis accusatorum, et ut investiget dispositiones hæreditarias, quae culpam minuere possent."

Dr. Voisin sequentia affert: „Lombroso voluit dare typum criminosi-nati, sed exaggeratio est, nam typus ille non existit; typus autem quem describit est typus in amentia nati. Certe degeneratus iste, secundum educationem quam recipiet, et libertatem quam ipsi relinquent, ad crimina pervenire poterit, sed etiam possibile est, ut

non necessario ad crimina perveniat, quamvis ad hæc sit dispositus; si nempe bonam educationem recipit et ponitur in medio et conditionibus sapienter electis ad malas ejus inclinationes oppugnandas." 1)

M. Baets 2) merito dicit: „typus criminosus nascitur ex crimine; criminosus per ipsa crimina typum criminorum induit." Rejiciens doctrinam dr. Lombroso, partim tamen veram agnoscit, in eo nempe: „quod demonstrat existentiam amentium qui necessario ad crimina ducuntur, (fou criminel) existentiam etiam indolis criminosæ. Hanc Lombroso melius in lucem posuit; sed ipse non est primus qui notitiam hujus characteris habuit. Hujus notitia a mundi primordiis exstitit; semper enim notum fuit existere homines ad crimina adactos, vitio organorum corporalium; semper etiam admissum fuit crimina vultu prodi."



XI. Si non existit criminosus a nativitate, quare ergo criminosi semper fere recidunt in crimina?

Sic argumentatur Dr. Maudsleij, sed falso concludit a difficultate ad impossibilitatem emendationis. Jam S. Gregorius dixit: „peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit." Probari etiam potest ex Sacra Scriptura: Baldad, amicus Job,

1) L'Idiotie p. 22. — 2) Les bases de la morale L. III. ch. IV p. 361, 368

impium describit: qui „immisit in rete pedes suos et in maculis ejus ambulat.” 1) — Proverbia dicunt: iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.” 2) — Jeremias dolens super Jeruzalem, exclamat: „peccatum peccavit Jeruzalem, propterea instabilis facta est..... Quis medebitur tui?” 3) Cognovit enim sententiam Ecclesiastes: 4) „perversi difficile corriguntur,” nam XIII. 23. enuntiat: „Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.” — Sed ideo non desperat, nam hortatur ad pœnitentiam.

Doctori Maudsleij, 5) — qui ad hæc verba Jemeriae alludere videtur, ac insuper ad verba S. Petri: „canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti,” ut sic demonstret impossibilitatem emendationis, quia natura criminosi reformari nequit — consulere possumus ut melius scrutetur Scripturas. Nam S. Petrus agit de apostatis qui veram fidem contemnentes iterum ad mundana principia redeunt; pro illis nempe „facta sunt posteriora deteriora prioribus,” et comparari possunt „canibus reversis ad vomitum. Sed S. Petrus non dicit, eos necessario ad vomitum rediisse. Dein apostatae non erant criminosi a nativitate, secus enim antea ad fidem venire non potuissent. 6)

S. Augustinus confitetur: „suspirabam ligatus, non

1) Job. XVIII. 8. — 2) Prov. V. 22. — 3) Lam. I. 8. II. 13. — 4) Eccl. I. 15. — 5) Crime et folie p. 24. — 6) 2. Petri II. 20, 22.

ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus et inde funes mihi fecerat. Ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur facta est necessitas." 1) Sed S. Augustinus se non excusat; nam bene scivit, se peccando voluntarie singulum catenæ annulum fecisse. Ad invitationem gratiæ divinæ non respondit: non possum, sed dilationem emendationis voluit per verba: „cras et cras." Post longam resistentiam pravae voluntatis, Augustinus denique conversus fuit.

Hoc exemplum multum valet in quæstione de qua agimus. S. Augustinus enim ante conversionem simili errori adhærebat, quo laborant Dr. Lombroso, Maudsley etc., nempe: Manichæismo. Hac doctrina imbutus existimabat: peccata non ex propria mala voluntate provenire, sed ex quadam mala natura quae erat in homine. 2)

A simili etiam ratiocinari possumus. Sicut ille qui semetipsum vulneravit in corpore, negligens vulnus, quinimo illud sordibus exponens, causa est putrescentis vulneris; eodem modo ille qui peccato vel crimine animam suam vulneravit, contemptu medicinae spiritualis, quærendo pericula proxima, causa est aggravescentis vulneris.

M. Baets concedit aliquando dispositionem nativam efficere recidivum, in casu nempe deformationis cerebri. Sed ideo concludere non possumus deformationes has semper

1) Conf. l. VI et l. VIII. C. 12. — 2) Conf. l. V. c. 10.

et unice recidivum facere. Dein has causas relapsus allegat: „voluntas debilitata in eo qui se crimini dedit; regimen carceris; difficultas maxima pro iis qui semel in carcere fuerunt, honesto modo victum comparandi; denique passiones quæ manent et quæ, quamvis ad malum non determinent, tamen plus minusve instigant.” 1)

* *

XII. Si criminosi a nativitate non existunt, nisi ex defectu cerebri — nec etiam necessario recidivi nisi ex eadem causa — an saltem omnia crimina excusari non possunt propter insaniam moralem? (moreele dwaasheid, anomalie morale.)

Sub hoc titulo Dr. Despine et post eum schola Italica criminosos excusat, quia laborant insensibilitate morali, quæ esset: status animæ similis amentię, libertatem et ideo culpam auferens, ob absentiam sensus moralis in sana mente. Criminosus, juxta illos, laborat insania morali, quia caret miseratione, quia non sentit dolorem de crimine commisso.

Dr. Despine sua imbecillitate morali non intelligit illam, quam etiam admittunt medici mente captorum, tamquam occasum intelligentię et primordium amentię, nam juxta ipsum mens sana est, sed sensus moralis insanit, ita ut crimina culpa careant. Quid aliud est quam dicere: existunt homines cum forma humana,

1) O. C. p. 351.

intelligentia præditi, sed quorum cordibus lex naturalis non est inscripta? Dicant ergo simpliciter: existunt bestiae in forma humana.

Merito dicit Proal: 1) „Si criminosus sicut mala bestia impulsus esset ad crimina, natura ejus numquam mutaret. An serpens umquam non mordet? An lupus sese emendat? An in fera apparet instinctus varietas, aut alternatim bonitas et ferocitas? Ast, dum lupus semper agit ut lupus, accusati non semper egerunt tamquam criminosi; sæpe enim antea fuerunt boni, et post condemnationem aliquando mores corrigunt..... Non existit accusatus, qui in vita sua saltem unum bonum opus, sive magnum sive parvum, non fecerit; sicut non existit homo honestus, qui in vita sua saltem unum vel alterum peccatum non commiserit.... Sæpe auditorium, postquam ad prælectionem actus accusationis indignationem ostendit, audita etiam vitæ ratione antecedente, incipit sentire miserationem, vel desiderare pœnæ diminutionem aut remissionem. An possibile esset sentire miserationem, si criminosus esset mala bestia, quæ semper ostendit instinctum ferum?..... Nihil magis verum mihi apparet quam dictum M. Franck: homo usque ad imum profundi lapsus, manet creatura humana, ens præditum moralitate, conscientia, ratione et libertate; et, quamvis fortasse actualiter facultatibus crimine obli-

1) O. C. ch. III. Le crime et l'anomalie morale.

teratis, uti non posset, eas recuperare potest, doloris, pudoris et contritionis aculeo..... Generatim crimina præmeditata sunt, 1) et quidem tam bene præmeditata, et tam astute commissa, ut auctores criminum sæpius inveniri nequeant. Quid ergo Dr. Despine argumentum pro suo sententia quærit in carentia cautionis (imprévoyance) quacum crimen committunt?

Raro criminosus sine præparatione transit ad executionem criminis cogitati. Generatim crimen non sicut fulgur apparet, sed sequitur cogitationes malus, quibus consensum dedit; sequitur vitam malam antecedentem. In quantum desideria mala ardentiora fiunt, consentiendo cogitationibus criminosis, in tantum ratio obscuratur, vis resistendi minuitur, timor evanescit et tunc tandem ad actum criminis pervenit. Ideo Christianismus, qui est admirabilis schola recti sensus et psychologiæ, commendat ut homines summa cum cura vigilant super cogitationes suas, quia culpa peccati non incipit exequendo crimen, sed voluntarie cogitando de crimine..... Assimilare criminosos, qui ex passione agunt amentibus, nihil aliud est, quam proclamare passiones insuperabiles et sic tradere societatem malefactoribus.... Dr. Despine putat societatem sufficienter protectam esse contra fures et latrones, si illi asylo committuntur ad curationem subeundam.... Pigri et libidinosi qui crimine

1) Exceptis aliquando iis quæ in maxima ira vel in ebrietate committuntur.

divites esse cupiunt; nepotes qui successionem hæreditatis avunculi accelerare volunt; mulieres quæ tentatione laborant veneno viros suos occidendi ad liberius vivendum; servi, qui servitii pertæsi, divitias dominorum cupientes, eas cæde acquirere moliuntur; — illi omnes ex nunc nihil amplius timendum habebunt, quam curationem subeundam in asylo!! — Dr. Despine distinguit crimen a delicto. Concedit quod, si delictum non est grave ac delinquens illud in sua conscientia reprobatur, et non obstante illa mala conscientia, adhuc illud committit, culpabilis fit et puniri potest. Sed si agitur de crimine contra naturam, crimen illud, (quod ipsi apparet non aliter possibile quam per defectum sensus morales,) nullatenus puniri potest. Et ideo sequeretur: quanto magis horrendum est crimen tanto majore dignum est indulgentia; pro parvo delicto puniri potest, sed pro crimine abominando curandus tradi debet asylo!"

* * *

Si Dr. Despine legisset S. S. Scripturas, præsertim Proverbia, Ecclesiasten, peccatores frequenti Scripturæ phrasi stultos vocatos reperiisset, et quidem eosdem quos ipse sensu morali ac ideo culpa carentes reputat. Sed S. Scriptura nequaquam eos excusat, nam voluntarie stulti et cæci sunt in re morali; cognoscunt legem eamque si volunt servare possunt, sed non volunt, quia potius malis passionibus indulgere cupiunt.

Nonne Dr. Despine Phariseos morali sensu carentes reputasset, quia crimen maximum moliebantur, mortem nempe Salvatoris? Ipse Salvator eos stultos et cæcos vocat, sed nequaquam excusat. Si autem Epistolam ad Romanos legisset, accuratam descriptionem eorum de quibus agit vidisset, sed simul condemnationem sententiæ suæ.

In primo hujus epistolæ capite S. Paulus impios philosophos aggreditur, qui sana mente gaudebant, sed veram Dei et legis naturalis cognitionem quasi captivam tenebant, ne prodeat in affectum et opus. Nam cum cognovissent Deum et Ejus legem, non tamen sicut Deum glorificaverunt, et, ideo evanuerunt in cogitationibus suis, atque obscuratum est insipiens cor eorum.

Et nunc videamus eventum: indulgebant pravis desideriiis, sequebantur passionες pudendas et ignominiaē, quibus naturalem voluptatis usum in nefarium converterunt. Et jam bene attendat Dr. Despine, nam S. Paulus etiam loquitur de perversione sensus morali, dicens v. 28: „sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitia” (nocendi studio) „plenos invidia, homicidio.... dolo.... sine affectu” (pietate) „sine misericordia.” (crudeles) Et nunc audiamus conclusionem S. Pauli, nam non excusat eos tamquam coactos ad malum, sed dicit: „ita ut sint

inexcusabiles" (v. 20) — „quoniam qui talia agunt digni sunt morte." (v. 32.)

* * *

Concludendum ergo hominem juxta Dr. Despinae, Ferri etc., sana mente gaudentem sed sine sensu morali seu sine lege naturæ, non existere sed etiam impossibilem esse. Nam homo qui prima legis naturæ principia transgreditur, quæ invincibiliter ignorare non potest, vel est idiota a nativitate, vel plene amens, vel stultus in sensu S. Scripturæ: voluntarie transgrediens legem Dei, et sic pro temporali et falsa felicitate, contemnens gaudia cœlestia vel eligens pœnam æternam.

Amentes quos in domo amentium „Voorburg" in maximo numero cognovi, et qui certo excusandi sunt, si legem naturæ transgrediuntur, vixdum prima legis naturæ principia violant. Et quando lucida intervalla habent, sciunt in genere se blasphemasse Deum, se suicidium vel homicidium patrare voluisse, sed quamvis diminutionem peccati vel criminis facile admittant, præsertim si sacerdos vel medicus excusationem proponit, difficulter tamen totos innocentes se fateri volunt. Omni autem in casu peccata contra legem naturæ commissa improbant in lucidis intervallis, vel si improbare non volunt, agnoscunt sese peccatores impœnitentes. Cognosco amentes qui olim aliquo tempore in carcere fuerunt propter crimina, inter illos est etiam parricida. 1)

1) Regestum domus amentium „Voorburg". n. 2135.

Utrum crimina amentiam advocaverint, quod sæpe sæpius fit, an amentia crimina, incertum est; certum autem quod in carcere signa amentiae dederunt, et idcirco ad domum amentium translati sunt. Hi autem totam sententiam Dr. Despine condemnant; nam vel numquam sana mente gavisi sunt et ideo sine ullo scrupulo legem naturæ violaverunt, vel olim sana mente præditi erant, sed fortiter peccando amentiam provocaverunt. Teste enim Dr. Belouino cum multis aliis, causæ morales amentiae frequentiores sunt quam physicae. 1) Dein patet apud eos de quorum amentia a nativitate dubitatur, quanta connexio existat inter rationem et prima legis naturæ principia. Eadem enim mensura qua ratio apud illos apparet, etiam lex naturæ sese demonstrat. Bene sciunt se non posse blasphemare Deum, occidere proximum etc. Hæc principia apud illos evolvi possunt et sic sæpe apti fiunt ad recipienda S. S. Sacramenta. Et quamvis difficile dictu sit, an tales quidem mortaliter peccare possint, hoc non esset quia legem naturæ non cognoscunt, sed quia mens eorum non apta esset ad agendum cum plena advertentia et plena voluntatis libertate.

Nullus ergo existit homo sine lege naturali, sive habituali, uti sunt idiotæ a nativitate, pleni amentes et infantes ante usum rationis; vel actuali, ut sunt omnes homines qui et quatenus usu rationis gaudent.

* *

1) Les Passions T. II. p. 325.

XIII. Nunc quæstio sese proponit: an suicidium hæreditarium esse potest?

Non est dubitandum; nam sicut omnis forma amentię hæreditate transire potest, ita etiam hæc forma.

Et quidem, juxta Dr. Voisin, 1) suicidium transeundo, generatim sub eadem forma transit, quamvis alia amentia pro $\frac{3}{4}$, generatione transformetur. Sæpe etiam amentia suicidii in una familia eodem modo, eodem loco et eadem ætate sese manifestat.

Proal idem indicat dicens: „pater qui sese occidit, sæpe habet filium, qui amens factus se etiam perimit.” 2) Dr. Moreau dicit: „Suicidium in summo gradu sequitur legem hæreditatis.” 3)

Legoyt refert computationem asyloꝝ amentium in Borussia et ex 6369 amentibus inclinatio ad suicidium hæreditaria apud 57 proveniebat immediate ex parentibus; 41 habebant avunculos vel materteras et 37 fratres vel sorores suicidas 4) Dr. Brière de Boismont hæc habet: „hæreditas suicidii sæpius est immediata, quamvis ab avis vel ex linea collateralis provenire possit.” 5)



XIV. Quid ex his testimoniis sequitur?

Suicidium aliquando culpa carere propter hæreditatem amentię sub forma suicidii. N. N. in domo amentium

1) L'Idiotie p. 24. — 2) Crime et peine p. 89. — 3) La folie chez les enfants. p. 243. — 4) Le Suicide, p. 326. — 5) Du Suicide p. 15.

„Voorburg” mortuus, tamquam exemplum poni potest. 1) Hic propter conamen suicidii ad hanc domum ductus fuit. Pater ejus suicida fuit, sese in flumen projiciendo; filius ejus natus maximus laqueo se suspendit. Filii ejus qui adhuc vivunt, uti dicit ille qui declarationem amentiae signavit, anxii sunt propter certa signa haereditatis.

* *
*

XV. An existit idea impulsiva ad suicidium?

Baets admittit ideam impulsivam, sed in homine mente capto. Affert exemplum feminae valde probae quae semper ideam impulsivam suicidii sentiebat, ac semper voluntarie ligata super lectum jacebat, ex timore ne ideae indulgeret. 2) Experientia docet amentes in lucidis intervallis aliquando amentiae vel furoris reditum et sic amissionem liberi arbitrii, praesentire et annuntiare.

Ideam talem impulsivam nullatenus dominari in sana mente, testimonio ipsius Doctoris Brière confirmare possum.

Ipsa 3) testatur se per plures hebdomadas ideam incendii habuisse, ita ut dormire non posset. Eodem momento inenarrabilem tristitiam in animo, in corpore autem nervorum oppressionem sentiebat. Persuasum ipsi erat corpus in hoc casu deprimere animum, nam nullatenus expellere poterat ideam illam falsam. Quamvis

1) Regestum domus n. 2053. — 2) Les bases de la morale p. 257.
3) O. C. p. 421.

autem idea illa ipsum tyrannice opprimeret, iudicium tamen mentis prohibebat ne aliquid insani faceret. Ideo concludit: in eo consistit differentia; quod idæ erroneæ in sana mente subsunt iudicio, non vero in mente infirma.

Idem iudicium ferendum est de sic dicto vertigine abyssi, quam sentiunt homines nervosi, quando sunt in alto loco; nam quamvis sentiant propensionem se mittendi deorsum, nequaquam tamen faciunt, quia sana mente fruuntur; ideo adhibent media ne cadant, vel si vertigo periculosa est, alta loca evitant.

De cætero quoad impulsionem remitto ad articulum: de tentatione suicidii. Nam tentatio omnis generis impulsio est carnis, mundi vel diaboli; impulsio valde molesta, sed quæ iudicio mentis, cum firma voluntate gratia adjuta, repellitur et demum vincitur.

Dr. Moreau etiam ponit casus infantium qui suicidium patrarunt, quia a superioribus reprehensionem subierant. Sed hoc quidem superbiam eorum probat, sed nullatenus impulsionem necessariam. Infantes quos describit nullatenus amentia laborabant; ideo potius dicendum: malitiam incredulitatis eorum quæ passiones moderari nunquam cognovit, causam fuisse suicidii.



Post ea quæ dixi de lege hæreditatis, in memoriam vocare monitum S. Scripturæ non abs re erit. In libro

Exodi 1) dicitur: „Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt Me.” Visitatio haec Domini punientis peccata patrum in filios, unice respicit corpora filiorum, quia corpore quiddam parentum sunt; et ideo Deus usque ad tertiam vel quartam generationem punit, quia usque ad quartam generationem censentur veluti possessio patris esse. 2)

Ideo etiam legitur in libro Job: „Vidit filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem.” 3) Haec visio tamquam remuneratio legitur Jobo data, quia usque ad hanc generationem filii patris possessio censentur. Hanc visionem etiam Gabelus exoptat Tobiae et Saræ. 4)

Merito exclamat Psalmista: 5) „judicia Tua abyssus multa!” Sed quamvis inscrutabilia sint, certissime tamen cum eodem dicendum: „quia æquitas judicia Tua; — judicia Domini vera, justificata in semetipsa.” 6) Pœnæ in hac terra immissæ proficiscuntur quidem a justitia Dei, sed misericordia divina medicinales fiunt, sæpe enim ob hanc legem hæreditatis, matrimonio contracto, sobrie et caste vivere incipiunt propter prolem futuram. Et qualis adhortatio ad emendationem pro parentibus male viventibus, aspectus primogeniti deformati; prolis

1) Exodi XX. 5. — 2) Ita in Cursu C. S. S. T. XIX. p. 785. —
3) Job. XLII. 16. — 4) Tobias IX. 11. — 5) Ps. XXXV. 7. —
c) Ps. CXVIII et XVIII.

infirmæ, quæ sæpe transfertur de utero ad tumultum; prolis amentis, quæ propter parentum peccata, præsertim ebrietatis, in asylo vitam miseram degit!

Contra eos autem qui hanc legem hæreditatis etiam ad voluntatem hominis extendunt, quasi quis sanæ mentis, propter atavismum, ad peccata cogi posset, legenda sunt quæ habet propheta Ezechiël, XVIII. Judæi enim jactabant, se insontes et innoxios, ob sola peccata parentum puniri. Deus autem per Ezechielem respondit: „Ecce omnes animæ meæ sunt; ut anima patris ita et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Et vir si fuerit justus.... vita vivet, ait Dominus Deus. Quodsi genuerit filium latronem.... numquid vivet? Non vivet cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur: sanguis ejus in ipso erit.” — Et nunc videmus ex sequentibus verbis, legem hæreditatis nequaquam certam esse, et, quamvis dispositio ad crimina aliquando ad filium transferetur, illum tamen liberum esse ad bonum vel malum. Dicitur enim v. 14: „Quodsi (criminosus ille) „genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit et non fecerit simile eis....., hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.... Pater ejus quia.... malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. Et dicitis: quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium et justitiam operatus est.... Anima quæ peccaverit ipsa morietur.” 15 - 20.

Comparantes ergo caput XX Exodi cum capite XVIII Ezechielis, patet: Deum in corpore filiorum visitare iniquitatem parentum, ita ut vel idiotae, vel imbecilles et aegri nascantur; sed anima filiorum non necessario peccaminosa est, quia a Deo infunditur corpori, quod acceptum a parentibus criminosis, dispositionem ad crimina habere potest, sed nequaquam libertatem animae auferre, nisi morbo cerebri in quo peccatum impossibile fit, deficiente lumine rationis. Patet enim ex v. 10: filium iusti latronem etc. fieri posse; et ex v. 14: filium istius latronis iterum juste vivere posse.

Dein ex v. 27 condemnatur theoria de criminoso, qui necessario malum facit, vel saltem amens reputatur, nam dicitur: „Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit iudicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit.”

Ergo criminosus libertate gaudet ad faciendum bonum; nec amens est, quia talis non potest considerare vias suas et avertere se ab iniquitatibus.



In dijudicanda culpa attendendum est quis suicida et sequentia considerata sunt:

An fortasse unus. ex parentibus, praecipue mater, (cfr. supra q. IV.) amens fuerit. Insuper, si illi sanae mentis fuerunt; an in avis, vel in proxima linea collateralis amentia apparuerit.

Si amentia in familia reperta fuit, saltem pro foro externo culpa suicidii aberit.

Dico: Si amentia reperta fuit. Certe non sufficit si unus e proxima familia suicidium fecit, sed requiritur suicidium antecedens ex amentia. Nam secus nihil aliud erit quam pravum exemplum; imitatio autem hujus exempli nullam certe excusationem afferre poterit, nam secus omnia peccata, omnia crimina, quae ad exemplum aliorum fiunt, excusari deberent. Auctores loquuntur quidem de imitatione tamquam excusatione aliqua, sed supponunt apud imitatores insanam praedispositionem.

Dico: Saltem in foro externo culpa aberit. Nam an in foro interno inculpatus fuerit, asserere non auderem. Certum enim est, juxta probatos auctores, aliquem praedispositum ex haereditate, sive ad amentiam, sive ad suicidium, sobrie et pie vivendo morbum declinare posse. Jam vero quantum potuerit, et in quantum non fecerit, Deo relinquendum erit.

An astutia qua quis media adhibet perveniendi ad suicidium, rationis indicium est?

Negative. Dr. Brière de Boismont merito dicit, quod omnes qui amentes cognoscunt confirmabunt: „amentes semper perveniunt ad suicidium, tametsi cum maxima attentione observentur..... Ordinarie amentes eligunt modum suicidii. Quando volunt vitae finem imponere, apud eos invenies tenacitatem propositi, dissimulationem, astutiam ac silentium, et non raro ostendunt versutiam

pervenienti ad finem.... In eo momento, in quo minime expectares, vel in quo periculum maxime remotum putares, amens suididium perficit." 1)

Dein sequens exemplum ponit. 2) Vir nobilis per familiam suam ad domum amentium ducitur. Unum petimus, dicunt directori, prohibeas infelicem ne se perimat, nam saepius jam voluit suididium patrare. Director duos custodes ponit apud amentem, qui fatigatus lectum petit. Post semi-horam amens desiderat praesentiam directoris, quem alloquitur dicens: Domine, approbo quod juxta desideria familiae meae, omnia media possibilia adhibes ad praecavendum suididium, sed non ideo debes me torquere. Intolerabile mihi est, semper juxta me habere duos illos custodes, quorum oculi ne uno quidem momento a me avertuntur. Tam fatigatus sum, sed sic dormire nequeo. Pone eos ubicumque volueris, sed non tam prope lectum. — Director jubet custodes a lecto recedere, sed tamen bene observare eum. Post duas horas director redux petit a custodibus: quomodo valet infirmus? At illi: tranquillus est et dormit. Director appropinquat, vocat infirmum.... nullum responsum recipit.... tangit illum sed non movet se.... O qualis consternatio! Amens indusii oram sine ullo strepitu abscidit et seipsum strangulavit.

1) In O. C. p. 349, 411, 745. — 2) p. 676.

Circumstantia Ubi.

Legoyt generatim affirmat amentes non vel raro eligere locum determinatum. 1) Non amentes aliquando eligunt loca dissita, ad salvandum honorem familiae, aliquando loca publica ex vanitate vel ad excitandam commiserationem, uti non raro faciunt qui legunt libros romanenses, vel, teste Dr. Ebrard, etiam illi qui nimis admirantur libros Graecorum et Romanorum.



Circumstantia Quare.

Ex epistolis quas reliquerunt suicidae responsum habemus. Plurimae epistolae, uti dicit Dr. Brière de Boismont, 2) continent sequentia: „In hac terra non inveni nisi dedecus. — Ego ipse poenam incurri criminum meorum” — Multi dolorem suum manifestant de mala consuetudine, quam vincere non potuerunt. — Nunc vir vitam libidinosam finit, quam emendare conatus est et quam morte voluntaria expiare putat; tunc mulier, quæ dirigit verba ad virum, ut sese accuset de excessu, quem morte vindicare vult — Matrimonium promissum sed non contractum ex mala fide, saepius etiam tamquam causa suicidii indicatur. Dein Dr. Brière 59 epistolas refert, in quibus tamquam causa assignata invenitur:

1) Le Suicide p. 361. — 2) O. C. p. 300-331.

concubinatus. In diario „Le monde” 1) annuntiatur suicidium Desiderii Oudard. Juxta corpus epistola inventa est in qua Oudard sese manifestat furem, inter alia, se furatum fuisse lapides pretiosos valoris fr. 150,000 Assignat participem et illum cui lapides pretiosos vendidit. Indicat locum in quo argentum abscondit. Epistolae veritatem confirmavit, particeps inventus et captus.

Post tot epistolas, quas refert dr. Brière et praesertim post illam quam ex Diario retuli, in quibus nullam amentiae indicium invenitur, mirum est, quod adhuc aliqui dicere audeant: omnes suicidas in ipso momento mortis amentia laborare.

Nam, teste dr. Brière, 2) amentes raro scribunt litteras. Si scribunt, numquam scriptae sunt immediate ante mortem. Dr. Brière multos alios medicos, qui amentes curabant, interrogavit et omnes responderunt: amentes valde raro scribere causam suicidii. Ipsae epistolae amentium, si inveniuntur, amentiam confirmant.

Ne objicias: amentes non potuisse scribere, non habentes chartam vel atramentum; nam multi in eo ut suicidium patrarent, ab aliis a morte erepti ad domum amentium deportati sunt; multi etiam occasionem scribendi in ipso asylo habuerunt, uti testatur dr. Girard de Cailleux de suicidis de quibus loquitur.

* *

1) 6 Dec. 1894. — 2) O. C. p. 369-377.

Idea suicidii apud amentes præcipue oritur ex ipsa melancholia (lypemia), ex hallucinationibus, quibus putant sentire aliquid sive in capite, sive in ventre, et ut illud extrahant, caput vel ventrem aperire volunt — in hallucinatione vocem sine intermissione audiunt, qua imperium accipiunt, semetipsos occidendi; vel putant audire invitationem Dei transmigrandi ad cælum; vel in imaginatione vident persecutorem, quem effugere cupientes, saltant per fenestram.

Amentes omnibus qui andire volunt propositum manifestant, quinimo ab aliis petunt laqueum. Apud non amentes idea nascitur ex passionibus, cruciatibus conscientiae, etc. Libido eorum non est delirium; mala vita eorum non est hallucinatio, nec miranda est eorum animi tristitia, quæ non, sicut apud amentes, morbus sed conscientiae vehemens accusatio est.

Dr. Belouino 1) eandem cum Dr. Brière sententiam defendit, dicens: „multa facta non permittunt in dubium vocare existentiam monomaniæ suicicii. Sed rariorem existimamus quam aliqui auctores vellent, quorum quidam omne suicidium amentiam dixerunt..... Invitatus apud ægrotum cujus medulla spinalis dolore affecta erat, quum affirmarem remedio violento ac doloroso opus esse, illo uti recusat. Tunc adit celebrem professorem Parisiensem, qui idem remedium assignat. Redux narrat

1) Les Passions T. II. p. 362.

mihi consultationis eventum, addens: vos medici non habetis nisi remedia extrema, sed ego cognosco remedium quo prompte sanus ero. Sequenti die suicidio vitæ finem imposuit. Certissime homo ille conscius et nullatenus amens erat.”

Quomodo posset suspicio oriri de amentia excusante quando passionibus omni modo indulgent? Per passiones potest certo amentia momentanea provocari, sed tunc ipsa amentia voluntaria et peccaminosa est, sicut incendium voluntarium reputatur, quod quis excitavit, ignem injiciendo materiæ combustibili et sicut actus malus praevisus ante ebrietatem voluntarius fit ipsa voluntaria ebrietate. Quomodo excusare poteris juvenem, qui post dilapidationem amasiam, dein seipsum occidit mense Decembri 1894, in diversorio Ultrajectensi; et illum, qui eadem die, eadem in urbe, semetipsum occidit post ebrietatem? 1) Qualem excusationem invenire poteris in duello Americano, in quo sorte ille designatur, qui semetipsum occidere debet? 2)



An suicidium ex taedio vitæ (spleen), amentiae indicium affert?

„Dicunt monomaniam suicidii quam vocant spleen valde frequentem esse apud Anglos; sine difficultate credimus populum tam materiale terribili illo morbo

1) *Diarium*, *De Tijd* 31 Dec. 1894. — 2) cfr. *Le monde* 23 Dec. 1894.

saepe laborare, sed veritas distinguenda est ab exaggeratione. Certum est leges Angliæ suidium stigmatē notare. Ad evitandum dedecus, medici familiæ tradunt testimonium in quo dicitur eum amentem fuisse, et cum medicis magistratus claudunt oculos. Exinde orta est opinio multos Anglos laborare monomania suidii." Ita Dr. Belouino. 1)

De hoc taedio Dr. Brière 2) habet sequentia: Taedium saepe quidem ducit ad amentiam; bene tamen distinguendum est, nam non omne taedium insania est; taedium est morbus moralis, qui certe uti poterit medici cura, sed cujus sanatio remedia fortiora requirit. „Quando aliquis morte perdit caros suos, vitam fastidire potest ac seipsum occidere ex taedio. In hoc casu taedium causa secunda est, dolor autem de morte carorum causa prima suidii. A contrario fieri potest aliquem habitua-liter somniculosum esse, habere cogitationes atrae et melancholicas; huic nihil amplius placet, sed omnia eum moerore opprimunt. Quando aliquis dolor major hunc visitat, sese occidet.... Hoc in casu melancholia causa prima est et dolor circumstantia accedens. Existit ergo taedium acquisitum et taedium originale." i.e. quod a primis annis adfuit ex mala corporis dispositione; sed hæc melancholia nondum est amentia, sed facile fieri potest si nullatenus religione oppugnatur.

1) Les Passions T. II. p. 363. — 2) O. C. p. 268 seq.

Si ergo praecessit monomania tædium excusat. Si tædium oritur ex magna involuntaria calamitate et persona pia est et religiosa, tunc si in ipso momento calamitatis exortæ suicidium facit, magna suspicio amentiae saltem momentaneæ aderit. 1)

Si autem tædium acquiritur ex mala vita, quis excusare poterit suicidam? Stulti fuerunt in vita indulgentes malis inclinationibus; stulti sunt in morte provocantes eam; sed non sunt amentes.

Variis modis tædium intrat animum hominis. Ecce homo circuit mundum ad quærenda delectamenta et invenit tristitiam; noctem in diem convertit ad occurrendum gaudio et tædium se offert; voluptatis delectamenta brevia longo dolore pelluntur; post lusus tædium tamquam præmium se donat; post spectacula domum rediens nausea tamquam spectrum comitatur eum; quando librum romanensem perlegit tædium claudit librum et anima hominis, ad gaudium æternum creata, ingentem gemitum dat. O si fides gemitum susciperet et sanctificaret, sed eheu, fides apud eum non invenitur! Tunc mors extendit brachia et miser ille dolore animi pulsus se plena cum libertate tradit. Nam merito dicit Belouino: „in suicidio ex solo tædio libertas semper existit.” 2)



1) Gury Theol. mor. I p. 415 in nota Ballerinii, non vult poenam ecclesiasticam applicare iis, qui „passione gravissimæ tristitiæ turbata phantasia se occiderunt. — 2) O. C. p. 222.

Quid dicendum de suicidio sub titulo religioso? Potest esse præstigia diabolica — Suarez apud Ribet 1) dicit: „diabolus potest eludere sensus et facere ut appareat caput abcisum et sanguis fluens, cum revera nihil tale fiat.” Tali præstigia sic dicti Fakirs se vivos sepelire faciunt et resurgunt. Sic Lamæ in Tartaria et Thibet ventrem cultro aperiunt et non moriuntur.

Potest esse fanaticismus. — In India et olim in Japonia ex doctrina Boudhismi multi se occidunt in honorem idolorum.

Potest fieri ex gravi ignorantia culpabili in materia religionis. — Hic revera exclamare possumus: o cæcitas in re morali! Deum, Dominum vitæ graviter offendunt semetipsos occidendo, (nam invincibilis ignorantia in hac materia admitti nequit in eo qui ex impatientia se perimit) et tamen desiderant cælum adire. Suicida aliquis, uti refert Dr. Brière, 2) scriptum reliquerat in quo familiam enixe rogabat, ut pastorem celarent suicidium et sic preces Ecclesiæ acciperet. Gall et Debreijne referunt exempla hominum qui ex ignorantia crassa suicidium timentes, sed mortem cupientes prius homicidium fecerunt, ut capite damnati, antequam occiderentur tempus pœnitentiæ haberent.

Potest demum fieri ex monomania religiosa. — Esquirol citat exempla amentis, qui audiens vocem Dei:

1) La mystique div. T. III. p. 121. — 2) O. C. p. 308.

veni fili mi — et militis amentis videntis currum ignitum ad illum recipiendum — ambo aperuerunt fenestram, unus ad currendum ad Deum, alter ut ascenderet currum.



Circumstantia Quomodo.

Si quis crudeli modo semetipsum occidit, indicium est amentiae. Exempla afferri possunt amentium qui semetipsos vivos combusserunt.

Amentes sæpe laborant insensibilitate (anesthésie.) In hoc statu semetipsos vulnerant vel comburunt sine ullo dolore.



O utinam legem hæreditatis inspicientes omnia suicidia morbo hæreditario, adscribere possemus; utinam apud omnes suicidas tales circumstantias inveniremus, quibus culpa evanesceret!

Sed, uti in sequentibus videbimus, plurimi sunt qui non ex morbo mentis, sed ex morbo animæ vitæ finem imponunt.



PARS II.

De suicidio hominis sanæ mentis.





CAPUT I.

De tentatione suicidii.



Princeps mendaciorem semel verum locutus est, nempe, quando Domino respondens, dixit: „pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.” (Job II. 4.)

Respice ad navigantes: in tempestate omnia profundunt in mare, ut vitam servant. Respice ad ægrotos: molestissima remedia adhibere non recusant, quinimo ignis et ferri experimentum subire minime dubitant pro incerta sanitate recuperanda. Juste ergo, S. Augustinus in sua ad Armentarium epistola, miratur molimina hominum, ut paulo longius vivant.

Unde horror ille universalis, quo cuncti, usque ad infantes et senes mortem reformidant, exoritur, nisi ex eo, quod ipsa natura nostra a morte abhorreat, velut ab eventu, quo sibi accidere non possit quidquam magis adversarium? In moriendo igitur quædam naturæ nostræ

offensio et depravatio insit necesse est, quæ revelatione divina edoctis eo conspicitur, quod vita humana ad perpetuum animæ et corporis consortium destinata, hominis ipsius culpa a divina voluntate recedentis dissolvatur.

Quis autem hominem ad hanc culpam seduxit? Ille qui dixit: „cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua;” ille invidia ductus morti introitum dedit in mundum.

Si, uti ex supradictis patet, mors tanta miseria est; si communis omnibus inest horror sepulchri, mirum fortasse apparebit, hominem tentari posse, ut mortem illam amaram sibi inferat.

Et tamen tentationem suicidii existere dubitandum non est. S. Bonaventura declarat: „acerbissimæ tentationes videntur: hæsitatio in fide Catholica, desperatio de Dei misericordia, spiritus blasphemiae contra Deum et Sanctos, et tentatio injiciendi sibi manus et se perimendi.” 1)

Idem habet Ribet: „angustia desperationis tanta esse potest, ut sequatur tentatio suicidii.” 2)

* *
*

Sicut omnis tentatio, etiam hæc suicidii triplici ex causa oriri potest, nempe: a natura nostra corrupta, a

1) Apud Philippum a SS. Trin. Theo^l. myst. T. I. p. 499. —
2) O. C. T. I. ch. 26, n. 5. — cfr. etiam J. L. Jansen, Geestelijke
brieven v. d. H. Alphonsus p. 11.

mundo vel a diabolo. Sæpe autem triplex causa simul influet; nam si natura corrupta continuis peccatis et indomitis passionibus pessima facta, aurem præbet falsis doctrinis hominum mundanorum, facillime diaboli fascinatione collum in laqueum inseret.

Si ex vita Sanctorum ostendo, eos non immunes fuisse tentatione suicidii, nemo mirabundus amplius erit, si infirmi in fide hac tentatione laborant.

Venerabilis mater Agnes in eo ut monasterium ingrederetur, pontem transiens, a diabolo ipsi apparente tentabatur, ut se in flumen projiceret. 1)

Venerabilis Franciscus Libermann, qui anno 1826 ex Judaismo transiit ad Catholicismum, tam vehementer cum hac tentatione luctari debuit, ut neque apud se, neque in cubiculo aliquod instrumentum acutum retinere auderet. Dein ipse fatetur: „quoties pontem transeo, cogito doloribus finem imponere, prosiliendo in flumen.” 2)

Beatae Christinae de Stommelen diabolus sub figura S. Bartholomei apparens dixit: „filia mea multum oras et magnum desiderium habes intrandi in regnum Dei. Scias, suicidium esse medium maxime promptum cœlum intrandi.” Hæc tentatio duravit per sex menses. 3)

* * *

1) cfr. Ribet O. C. T. II. ch. XI. n. 5. — 2) cfr. Petits Bol. T. XV p. 73 — 3) Pet. Bol. T. VII. p. 258.

Benedictus XIV, inter alia animadvertit, dæmones aliquando se transfigurare in angelos lucis, et Christi Domini, B. M. Virginis ac Sanctorum speciem, Deo permittente, assumere. Et postea hæc memoratu digna adjungit: „idque tanta calliditate et versutia facere, ut viros etiam probatæ virtutis non semel in errorem induxerint; quodque notatu dignum est, aliquando in suis visionibus et apparitionibus bonum persuaserunt, ut majus bonum impedirent, et ad aliquem actum virtutis hortati sunt, ut facilius incautos deciperent, et successu temporis ad horribiles lapsus sensim inducerent; a quibus ut caveatur, tam orationis præsidium, tum virorum prudentum ac in discretionem spirituum versatorum consilium est necessarium.” 1)

Quia Sancti et justi Deum invocant, astutiam diabolicam detegunt. Sed illi qui non stant super petram veræ fidei, fascinationibus ejus credunt. Hoc probari potest ex S. Augustino, qui sæpius loquitur de suicidio Donatistarum. In epistola ad Bonifacium anno 417 scribit, quod ex Donatistis quotidie aliqui se in aquam vel ignem projicerent, ut sic mortem invenirent. Et quis eos ad tantum fanaticum excitavit, nisi ille qui dixit Ipsi Salvatori: „Si Filius Dei es, mitte Te deorsum?” Et quare, quærit S. Augustinus, aures tentationi præbuerunt? Quia Christum non habentes in corde suo, dia-

1) De Serv. Dei Beat. LIII. c. 51.

bolo locum dederunt et perierunt sicut grex porcorum qui totus abiit per præceptum in mare. (Matth. VIII.)

Ad Donatum, sacerdotem qui ad partes Donatistarum transierat, a catholicis ereptum ex puteo in quem, ut se occideret, insilierat, scribit: audiui, te ad probandum te bene fecisse, allegavisse textum S. Pauli: „Si tradidero corpus meum ita ut ardeam.” Ex quo patet diabolus apud Donatum eodem modo processisse, quo apud Salvatorem, falso allegando Scripturam Sacram. 1)

* *

Qui falsam habet fidem, falsam etiam habet spem, quæ in fide fundatur; ideo Donatistæ tam facile diabolo indulserunt; plures autem sunt, qui quamvis fidem non amiserunt, spem tamen amplius non habent, quia propter multitudinem peccatorum de misericordia Dei desperant. O quam miseri sunt qui virtutem spei amiserunt, quam debiles quia fides eorum languescit: cognoscunt Deum, credunt severum iudicem; obliti sunt quia misericors et miserator Dominus! Si ad hos tentator accedit, dicens: major est iniquitas tua quam ut veniam mereatur, non difficile erit ipsis mortem tamquam remedium proponere ac suadere. Tunc magnum illud luctamen inter desperationem et fidem infirmam incipit se manifestare; sæpius fugiente ratione exclamant: laqueo me suspendam et similia, furibundique conamina inefficacia suicidii adhi-

1) cfr. Ponjoulat. Lettres de S. Aug. T. III.

bent, et in tali statu ad domum amentium transportantur ac in amentia sæpe perpetrant, quod antea fide retenti non auferunt.

Juxta Dr. Brière præsertim illi qui contra sextum præceptum pollutionibus etc. peccaverunt vexantur tentatione suicidii. 1) Toussaint Dufau dicit: „luxuria parit odium monstrosum adversus Creatorem, et in anima gignit desperationem de saeculo futuro. Hoc effectu horrendo explicari possunt furores et blasphemiæ tot hominum, qui hodie juraverunt in exitium religionis. Contra Deum arma sumunt, quia scelerum mole gravati sunt. Desperatio de futuro, quæ oritur ex stultitia impiorum etiam explicat horrenda suicidia, hodie tam multiplicia; quia nempe multi impuri sunt.” 2)

Idem dici potest de ebriis, quia „luxuriosa res vinum; 3) quia „fornicatio, vinum et ebrietas auferunt cor;” quia „ubi ebrietas, ibi diabolus;” (S. Joës. Chrys.) quia „multos exterminavit vinum.”

* * *

Conspiciamus nunc eos qui post fidei naufragium mundo adhærent, i.e. principia hujus mundi sequuntur, dicentes se sapientes scientia hujus sæculi, quæ Deum esse negat; putantes se honestos moralitate philosophia

1) O. C. p. 39 — 2) Les magnificences de la grace. p. 100. — 3) Prov. XX. 1. Osee IV. 11. Eccl. XXXI. 30.

moderna tradita: ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Satanas utitur hoc mundo ad perdendas animas, nam „mundus totus in maligno positus est,” 1) i.e. sub maligni potestate constitutus est, qui eum concupiscentiæ carnalis vinculis captivum, de flagitio in flagitium trahit. Non quod homines mundani ad peccatum cogantur a diabolo, sed „deserti a luce justitiæ et per hoc contenebrati, quid pariunt aliud quam opera tenebrarum?” S. Augustinus de Nat. et gratia C. XXIII.

Si teste dilecto Domino nostro, satanas expetivit Apostolum, ut cribraret sicut triticum, 2) sed non potuit quia rogavit pro eo Salvator; quantopere agitabit et concutiet eos qui mundi principia sequuntur; pro illis licentiam non petit, quia princeps hujus mundi est, et Christus pro mundo non rogavit. 3)

Impietatem philosophiæ modernæ et morum corruptionem laqueum multis parare, probari potest auctoritate virorum, qui scientia præditi, causas suicidii investigaverunt.

„Religio quæ, prout agnoscit physiologia, maxime remedio est contra suicidium, quotidie magis magisque discedit prædicatione doctrinarum, quæ originem nostram vilissimam tradunt et animam nostram simul cum corpore in eodem sepulchro reponunt.” Legoijt. 4)

1) I Jois V. 19. — 2) Luc. XXII. 31. — 3) Jois XVII. 9. — 4) Le Suicide p. 308.

„Unde terribilis progressio suicidii? Quare triste dictum Chatterton: 1) „desperare et mori” — quotannis tot millia infelicium repetunt? Causa est: Societas moderna nullam amplius fidem habet. Ast animæ non vivunt sine fide, et corpora non vivunt sine anima.” Dr. Ebrard. 2)

„Quando doctrinæ quæ traduntur viles, terrestres sunt, atque materialismum, pantheismum vel atheismum sapiunt, homo, nobilis illa creatura Dei, magnus ille rex naturæ, creatus ad cognoscendam et possidendam æternam Veritatem, fastidio habebit ét veritatem ét existentiam; nihilum invocabit, et in furore suo vitam sibi adimet.” Dr. Debrijne. 3)



Quam similes homines hujus sæculi sunt iis quos in sua epistola describit S. Judas: „quæcumque ignorant blasphemant, quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur;” qui juxta Jeremiam, „dixerunt: desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus et unusquisque pravitatem cordis sui faciemus.” 4)

Quam similes illis quos describit S. Paulus: 5) „tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Qui desperantes semetipsos tradiderunt

1) Thomas Chatterton poeta, anno ætatis 18 veneno se occidit. —
2) Apud Legojt O. C. p. 82. — 3) Du Suicide p. 12. — 4) Jer. XVIII, 12. — 5) Eph. IV. 18-20.

impuditiæ, in operationem omnis immunditiæ, in avaritiam" i.e. juxta S. Anselmum insatiabiliter.

Ab Evangelistis narratur expulsio dæmonis ab iis qui Christo, regionem Genasenorum adventanti, occurrerunt. Notum, quomodo satanas, expulsus ab illis infelicibus, petierit et impetraverit transire ad gregem porcorum.

Spectaculum hoc gregis præcipitati in mare, imaginem præbet hujus sæculi, in quo tot homines porcis illis similes in vita, eisdem in mortis genere assimilantur.

Juxta S. Marcum, ad dou millia porcorum suffocati sunt. Quis autem numerare poterit gregem hominum, qui tamquam irrationabilia animalia vivunt et per spiritum desperationis præcipitantur vel in ignem vel in aquas?

Mgr. Bougaud 1) dicit: Ultimis decem annis (1876-86) ex flumine (Seine) plus quam 600 mulieres et filiae et fere 2000 viri extracti fuerunt, qui desperatione ducti sese in flumen projecerunt."

In ephemeride: Bulletin de la soc. de méd. ment. de Belgique 2) invenire est: „Annuatim in Europa 60,000 hominum suicidio pereunt."

Et inter hos magnus est numerus qui jam in prima juventute tædio vitam exstinguunt. „In solo anno 1887, 375 juvenes ætatis intra 16 ad 21 suicidium perpetraverunt" Proal. 3)

„Sed his addendi sunt, dicit Legoijt, qui conomina

1) Le Christ. et les temps prés. T. V. p. 154. — 2) Juin 1893 p. 258. — 3) Crime et peine p. 187.

suicidii adhibuerunt. Ex 100 qui conantur mortem adire, juxta Esquirol vix 40 perveniunt."

Juxta Dr. Brière: pro uno suicidio duo conamina computanda sunt.



Hæc tentatio gradatim procedit.

„Cum peccato originis plus depravatum sit cor, quam mens hominis, et experientia teste, facilius sit credere quam vivere Christiane, legitima est consecutio, quod rebellio contra legem et moralem doctrinam Christi origo sit rebellionis contra fidem, mysteria et dogmata Christi." Ita Theol. Wirceburg. T. II. p. 275.

„Iniquitates capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur." 1) Tunc ingemiscit, sicut Augustinus: „ex perversa voluntate facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur facta est necessitas, quibusdam anulis sibimet annexis tenebat me stricte dura servitus." 2) — „Peccatum peccavit Jeruzalem, propterea instabilis facta est." 3) — Et „contingit eis illud veri proverbii: canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti." 4) — Lassati desperatione amittunt virtutem spei, et nolunt amplius intelligere ut bene agant; dubitantes sese conjungunt cum iis qui fidem negaverunt, vel admirantur eos qui fidem numquam

1) Prov. V. 22. — 2) Conf. I. VI. — 3) Jer. Lam. I. 8. —
4) 2 Petri II. 22.

habuerunt et sicut dicit Psalmista: „erraverunt ab utero.” 1)

Virtute spei per fidem negatam amissa, nulla spes remanet nisi passio spei, quam communem etsi diversimode habent cum animalibus, et cum iis qui ab utero tamquam irrationabilia animalia vixerunt.

Olim hæc passio spei intra justos limites continebatur virtutibus fidei et spei, nunc autem modum non amplius cognoscit. Olim hæc passio in iis ad veram beatitudinem dirigebatur, scientes hominem creatum esse ad Deum; nunc autem „æstimaverunt lusum esse vitam nostram et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undequaque etiam ex malo acquirere.” 2)

Spes eorum non amplius secundum Christum, sed secundum philosophiam et inanem fallaciam et traditionem hominum ac elementa mundi, contra quas jam Apostolus monet Colossenses.

Pulchre philosophiam modernam describit Albert Weiss: 3) „Philosophia ludit cum homine, sicut puer aliquando cum canicula, cui propriam caudam in ore ponit. Currere vult et non potest; circa seipsum volvitur donec in terram cadat. Tali modo philosophia ludit cum homine, quando eum docet: hominem nullum alium finem habere præter semetipsum.”

Talem philosophiam sequentes videamus diversos

1) Ps. LVII, 5. — 2) Sap. XV. 12. — 3) L'homme complet T. I. p. 317.

circulos facientes, donec desperantes in tædium vitæ cadant.

„In omnibus quæ amavi, possedi, desideravi, quæsivi, volui, petivi, decrevi, semper aliud novum decrevi, rogavi, volui, quæsivi, desideravi et possedi.” Maxime Ducamp. 1) Est illud quod dicit Jeremias: l.c. „peccatum peccavit Jeruzalem, propterea instabilis facta est.” Si finis hominis est ipse homo, omnem curam habebit fruendi creaturis.

Si inopia torquetur, desideriis immoderatis agitur; nunc invidia murmurat et fortunæ maledicit, tunc divitias fraude et furto acquirere studet, et si non potest, socialistis se adjunget, ut aliquam saltem satisfactionem sentiat in pulcherrimis problematibus seditionis et anarchiæ. Quia autem solutio semper differtur, ideo tædium vitæ furorem sequitur.

Si autem vel hæreditate vel duro labore divitias acquisivit, copia strangulatur. „Penetra in palatia divitum, et mirabundus eris de indifferentia qua splendida percurrunt cubicula, in quibus tamen omnes thesauros artis et luxus invenies. Cibos raros et exquisitos, vinum purum et delicatum, quibus mensa eorum instructa est, erudita palata fastidiunt; ingenii acies coquorum requiritur, ut semper aliquid novi apponant. Ars musica et spectacula successu carent ad eorum hebetationem auferendam; plurimum exclamant: o quam nauseosum!

1) Mémoires d'un Suicidé.

Ut tædium quotidianum vincant, omnibus viis sese committunt, omnes regiones peragrant, omnes dies festos agitant; saturati ac fatigati domum redeunt, ubi silentes et immobiles manent, tædium languens vultu mæsto prodentes „Ita Dr. Brière.” 1)

Videmus quomodo pauperes et divites per hoc principium modernæ philosophiæ: homo sibi finis est, ad tædium vitæ pervenerunt. Et „quando hæc passio animum invasit”, dicit Dr. Belouino, „quando elementa cupidinis evanescent et ad nihilum reducuntur, dolor fit gravissimus. Languor mortiferus, paralysis quasi moralis impotentem illum reddunt ad cogitandum vel agendum; indifferens fit circa omnia, et nulla res potest torporem depellere. Ex hoc statu vellet sese eripere, sed nullibi exitum videt; vita ipsi gravis est, horæ ipsi sæcula videntur.... Non sunt tormenta, quæ comparari valent cum hoc torpore animæ in corpore, qui vitam intolerabilem reddit.” 2)



In hoc statu unum adhuc explorare sæpe student: quia creaturæ ipsis veram beatitudinem procurare non valent, saltem felicitatem somniare volunt. Ideo ad usum opii, morphini, ad excerptum cannabis Indicæ, (quod haschisch vocant) refugiunt. Certe, voluptuose somniant, sed evigilantes profundam melancholiam sen-

1) Du Suicide p. 277—78. — 2) Les passions T. II, p. 157.

tiunt, et introitum dant morbo nervoso, qui dolores acerbissimos corporis animæ tædio addit. Edere, bibere, ludere jam non possunt, ergo finem suum ultimum attingere non valent. Sed quod pejus est, in simili statu sunt, quo olim Egyptii, de quibus dicit Sapientia XVII: „vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt..... Personæ tristes illis apparentes” (spectra) „pavorem illis præstabant — nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illum noctem horrendam — semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia — nihil enim est timor nisi proditio auxiliorum” i. e. desperatio omnis auxilii, quod humana ratio potest reperire 1) — „Ipsi sibi erant graviores tenebris.”

Merito dicit S. Paulus: 2) „prudentia carnis mors est;” non tantum animæ per peccatum mortale, sed uti in exemplis ostendam etiam corporis. Sicut caniculæ cum cauda in ore circulantes non tantum cadunt, sed sæpius se mordent, sic etiam illi homines, quibus mala philosophia, uti supra cum Weiss allegavi, caudam in ore ponit, post multos circulos cadentes in tædium ac desperationem, præ furore propriam caudam mordent suicidio

Exempla.

Dr. Foissac 3) narravit: unus ex amicis meis visitans

1) Ita Grotius in C. C. S. S. T. XVII. — 2) ad Rom. VIII. 6. — 3) Apud Brière O. C. p. 275.

celeberrimum chirurgum Cooper, ab eo bene receptatus est. Quum villam pulcherrimam chirurgi adivisset, et amicus magnificentiam hortorum, pulchritudinemque arborum admiratus fuisset, Cooper dixit illi: Sane arbores pulchræ sunt, sed nulla est quæ non inspiravit mihi ideam laquei! Honor enim et divitiæ ejus benedictione caruerunt, de qua lonquuntur Proverbia: „benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.” 1)

* * *

A. Legoijt scribit: „Anno 1815 celeberrimus politicus lord Castlereagh sese projecit in craterem Visuvii. Exemplum ejus multos habuit imitatores, et multi Angli, qui tædio vitæ (spleen) laborabant ibi mortem quæsiverunt.” 2) An hi pauperes fuerunt, qui tales itineris sumptus pro tali sepulchro solvere poterant? Nequaquam, sed „lassati erant in via iniquitatis.” 3)

* * *

Julius Lévi anno ætatis 48 Parisiis suicidio finem vitæ quæsivit. Erat maximus hujus temporis epicureus, plenus fortunarum. Quare ergo vitam odio habuit? Uti in scriptis relictis dicit: tædio insanabili afficiebatur. 4) Exemplum esse potest pro sententia Proverbiorum: „Anima saturata calcabit favum.” 5)



1) Prov. X, 22. — 2) Le Suicide p. 28. — 3) Sap. V. 7. — 4) Diarium. „De Tijd” 3 Apr. 1894. — 5) Prov. XXVII, 7.



CAPUT II.

De vera et falsa fortitudine.



Angelus lucis veram fortitudinem prædicavit, dicens: „forti animo esto,” sed addidit: „in proximo est, ut a Deo cureris.” 1) — Angelus tenebrarum, qui, juxta S. Paulum 2) sæpe „transfigurat se in angelum lucis,” fortitudinis speciem in suicidio prædicat, dicens olim per uxorem Job, nunc autem per inanes philosophos: „benedic Deo et morere.” 3)

Hodie multi impii inveniuntur qui summis laudibus suicidium extollunt, quasi fortis animæ indicium. Audi litteratorem Julium Lemaître ore pleniore laudantem suicidium familiæ Caubet (1 Jan. 1894). — Dominus Caubet, quamvis socialista, divitias et gloriam anhelabat; parcimoniam autem ignorans pecunia non abundabat, quinimo mense Januarii domus conductæ pretium solvere

1) Ang. Raph. ad Tob. V, 13. — 2) 2 Cor. XI, 14. — 3) Job. II, 9.

nequibat. Locator dilationem sex mensium ipsi dedit. Si voluisset interea suppellectilem abundantem vendere, facile solvere potuisset. Sed fratrem uxoris, qui jam sæpius pecuniam dederat, iterum adire facilius reputabant. Hic autem hac vice recusabat. Ideo decernunt suicidio rem finire. Non autem sine solemnitate huic vitæ valedicere proponebant — „Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit” 1) Prandium pingue præparant, ad quod amici et noti invitantur — Ultimam voluntatem circa cadaverum combustionem notam faciunt. Et nunc quasi ad nuptias optima vestimenta induunt, in coenaculo se prosternunt, laudanum sumunt, carbones accendunt et post paucas horas animam efflant.

„Laudatur peccator in desideriis animæ suæ;” 2) nam Julius Lemaître hoc suicidium vocat „sublime, dignamque imitationem antiquitatis et virtutis Romanæ.” Verumtamen, „non est speciosa laus in ore peccatoris.” 3)



Uxor operarii Hoffmann, non amplius paupertatem sufferens, postquam se et quinque suos infantes inebriaverat, carbones accendit, ut sic in aeternitate evigilarent. Paula Minck super horum sepulchrum posuit flores taenia rubra involutos cum inscriptione: victimis

1) Prov. XVIII, 3. — 2) Ps. IX, 24. — 3) Eccl. XV, 9.

miseriae ! 1) — Quadrat hic ironia Jeremiae : 2) „date flores Moab, quia florens egredietur.”

* *

Dr. Tanner qui fortitudinis corporalis gloriam quaesivit impio quadraginta dierum jejunio illudens Christo, fortiter etiam animam efflare voluit, exclamans : „Satur vitae mori decrevi, religionem non habeo, Christianismum odio prosequor.” 3)

Si, ut exemplis patet, suicidium laude extollitur et floribus coronatur : non abs re erit de vera fortitudine sermonem habere. Si spiritus hujus sæculi donum fortitudinis præbens, in dolorum acerbitate laqueum vel gladium vel carbones, tamquam ultimum remedium, in manibus miserorum ponit; Spiritus Sanctus donum fortitudinis tribuens, in medio cruciatuum non tantum fronte serena patientes reddit, sed sæpe blandi et heroici risus gratiam in labiis diffundit.

* *

Quid est fortitudo ?

„Est virtus coercens timores, audaciasque moderans, instantibus periculis.” 4) Hanc virtutem cardinalem multæ aliæ virtutes circumstant : magnanimitas et magnificentia, patientia et perseverantia.

1) Le Monde 10 et 12 Oct. 1894. — 2) Jer. XLVIII, 9. — 3) Diarium „De Tijd” 15 Maii 1893. — 4) Barré. De virt et passionibus T. II. p. 380.

Virtuti fortitudinis correspondet donum Spiritus Sancti ejusdem nominis, per quod altiori modo roboratur et quod definitur: „habitus supernaturalis, quo mens roboratur ut omnia virtutum difficilia atque pericula etiam gravissima ex Spiritus Sancti instinctu, cum divina invictaque fiducia pro Christi amore tolerantur.” 1)

„Objectum doni fortitudinis indicatur: omne scilicet quod est difficile et arduum in exercitio aut conservatione cujuscumque virtutis, secundum illud S. Pauli: „omnia possum in Eo, qui me confortat;” ita ut donum fortitudinis versetur circa hanc omnem materiam, quam apprehendit fortitudo, quatenus est virtus tum generalis tum specialis.” Barré l. c. Duo fructus Spiritus Sancti specialiter fortitudini respondent: patientia et longanimitas.

Ad donum fortitudinis refertur quarta beatitudo: „Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur” Barré l. c.



Ne dicant: justi opus non habent fortitudine, quia beati praedicantur, et „numquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit?” 2)

Non enim donum fortitudinis hominem praeservat ab afflictionibus spiritus aut carnis. Omnis justus cum Job 3) dicere potest: „nec fortitudo lapidum est fortitudo mea,

1) Barré O. C. T. I. p. 257. — 2) Job. VI. 5. — 3) Job. VI. 12.

nec caro mea aenea est", et saepe cum Psalmista : 1) „quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus" — „Omnes gentes circuierunt me.... circumdantes circumdederunt me..... sicut apes..... impulsus eversus sum ut caderem : et Dominus suscepit me..... Fortitudo mea Dominus." — S. Bernardus quaerit : „quis ille impulsor ? Non est unus. Impulsor diabolus, impulsor mundus, impulsor homo." 2)

Nonne mundus etiam hodie clamat : „circumveniamus justum... Contumelia et tormento interrogemus eum, ut... probemus patientiam ejus?" Sap. II. — Impulsor homo, et hic saepe familiaris, sicut uxor Job. Quinimo saepe parentes filios suos a via justitiae retrahere conantur, uti saepius legitur in vita sanctorum. — Impulsor ipsius hominis natura corrupta, nam per justitiam passiones non exstinguuntur. Haec inter pium et impium quoad passiones differentia sola est : pius gratia fortitudinis dirigit et domat passiones, sed indomitae passiones impium ad omne malum provehunt. Legenti Confessiones S. Augustini perspicuum erit stimulum carnis etiam justum vehementer impellere.

Et in quantum permittit Deus, maximus impulsor est diabolus. — Quanta mala inferre studuit S. Job ? Colaphizavit S. Paulum. — Quod S. Augustino 3) vigilantⁱ surripere non potuit, dormienti extorquere saltem voluit

1) Ps. XXX, 11 et CXVII, 10-14. — 2) Sermo 85 in cantic. — 3) Conf. l. X. c. 30.

per somnia inhonesta. Mundani putant justos non cognoscere objectiones quas scientia impia contra fidem et mores facit, ideoque contra Deum, Ejusve Providentiam nullas sentire tentationes.

Audiamus Philippum a S. S. Trin.: „Permittit aliquando Deus, quod diabolus existentibus in purgatione spiritum blasphemiae suscitet, qui singulis eorum conceptionibus immixtus, ad horribiles contra Deum et Sanctos blasphemias quasi compellit interius in mente et exterius ad eas exprimendas voce. Quidquid sanctum tunc vident, pium audiunt, devotum legunt, illo blasphemiae spiritu in deteriorem partem detorquetur... Vix concipi potest, quales angustiae in eorum anima generentur.” 1)

Haec tentatio S. Mariam Magdalenam de Pazzi per quinque annos concussit. 2)

Cum hac tentatione S. Hugo episcopus fere per totam vitam certavit. 3)

Molestiam hujus tentationis S. Vincentius per quatuor annos sentivit et immolando vitam suam Jesu Christo, in persona pauperum, vicit. 4)

Tantae fuerunt tentationes B. Angelae de Fulginio, ut pro commutatione horum tormentorum, uti ipsa fatetur: „ego libenter eligerem et vellem omnia mala et infirmitates omnes et omnes dolores qui fiunt in omnibus

1) Theol. myst. T. I. Art. 6. — 2) Pet. Bol. T. VI. p. 170. —
3) Pet. Bol. T. IV, p. 112 — 4) Mgr. Bougaud, Hist. d. S. Vinc.
T. I, p. 49.

corporibus hominum sustinere." Philippus a S.S. Trin. 1)

Nec fortes spiritu semper fortes sunt corpore, sed sæpius corporalibus doloribus afficiuntur; ita quidem ut, si morborum vim describere velles, non sine utilitate Sanctorum vitas percurreres, ad faciendum catalogum afflictionum coporalium.

Ne ergo dicant: justi beati sunt et sicut boves ante præsepe plenum deliciarum stant. Beatitudo fortium non est materialis, sed spiritualis, ac consistit in spe, ut per patientiam promissam reportent beatitudinem cœlestem, et ideo etiam hic in terra, „gaudium justo est, facere iudicium." 2)

Hæc dicta sunt, ad cognoscendum in quo vera fortitudo consistat; nam „vitia non decipiunt nisi sub specie umbraque virtutum;" 3) et „temerarius vult se credi fortem;" 4) ac „homines perditī ét vitia ét virtutes contrariis nominibus vocant: gloriam amare, magnanimitatem; arrogantiam, confidentiam;.... injustitiam, fortitudinem vocant; justitiam, imbecillitatem; contemptum fastus et gloriæ, servilis esse animi æstimantes; et tandem malorum tolerantiam, ignaviam et infirmitatem." S. Joes Chrys. 5)

Jam vero, quia fortitudo virtus cardinalis multas sub

1) O. C. T. I, p. 416. — 2) Prov. XXI, 15. — 3) S. Hieron. Ep. VII. ad Laet. — 4) S. Prosper. Lib. III de Vita Cont. C. I. — 5) Lib. III, contra vitup. vitæ mon.

se habet virtutes annexas, facile fit mundo et diabolo sub specie alicujus virtutis alicui dicere : forti animo esto.

Magnificentiam prædicantes, intimiditate, temeritate vel ambitione peccare faciunt. Patientiam simulantes, stoicam insensibilitatem intendunt. Et dum sic fortes redere conantur, in fine laqueum vel præcipitium ostendunt.





CAPUT III.

De vera et falsa magnanimitate.



„Magnanimitas est virtus ad opera magna et heroica in omni virtutum genere inclinans. Proprie autem dicuntur magna, quae in singulis virtutum generibus magna seu ardua censentur, magnaue honore sunt digna; ut sunt: magnae abstinenciae, magna vitae austeritas, magni labores pro salute animarum, eximia patientia in magnis calamitatibus” Ita Theol. Wirceb. 1)



Differentia inter magnanimitatem Jansenistarum et Sanctorum.



Mundus olim tamquam fortes et magnanimos extollebat Jansenistas, ob doctrinae rigorem ab Ecclesia damnatos.

1) De Fortit. Dub. II. n. 94.

Non autem erat vera magnanimitas, sed superbia, quæ multos eorum tradidit Satanæ.

Nam sani ad sepulchrum diaconi hæretici Paris veniebant, cupientes subire convulsiones indecentes, ridiculas, in quibus crudelissimis et mortiferis ictibus se submittebant.

Sub specie magnificentiæ Satan alliciebat eos, et quod sub ictibus animam non efflaverint, non stetit per eos, sed per illum, qui artificiis suis vim ictuum avertebat. Vita enim eorum in casu ipsi pretiosior erat suicidio, ad confirmandam hæresim Jansenistarum. 1)

Quantopere ab iis differt vera magnanimitas Sanctorum, qui quod seipsos attinet severi erant, vel ex inspiratione Dei, vel ad dandum bonum exemplum in regionibus, in quibus luxus et mollities regnabant, vel ex charitate erga proximum, ad impetrandum veniam pro peccatis eorum. Sed de omnibus Sanctis dici potest, quod de S. Severino dicit Montalembert : 2) „quamvis jejunio et mortificatione obduratus esset, famem sentiebat in fame eorum, frigus in nuditate eorum.”

Austeritas sanctorum benignos illos reddidit erga maximos peccatores; indulgentia eorum spem peccatorum refocillavit; ad eorum sepulchra, non sicut ad sepulchrum diaconi Paris, passionibus suis indulgebant, sed mortificabant eas; nec ibi sanitatis vel vitæ pericu-

2) Cfr. Ribet. La mystique etc. T. III. ch. VII et VIII. — 2) Les moines d'Occident T. I. p. 283.

lum incurrerant voluntariis convulsionibus, sed saepe saepius corpus eorum aegrum sanum factum est, et exempla non desunt mortuorum qui ad attactum sepulchri alicujus Sancti revixerunt. — Nam sicut in Veteriⁱ Testamento narratur de cadavere projecto in sepulchrum Elisei, quod cum tetigisset ossa ejus revixit 1); ita in Novo Testamento, puella attactu feretri S. Virgilii, Episcopi Arelatensis, et puer positus super sepulchrum S. Cyrilli, Ord. Carm., ex mortuis ad viventes redierunt. 2)

Magnanimitas duorum reformatorum.

* *

Nonne sub specie magnanimitatis Satan decipit Lutherum, ut tamquam fortis reformator morum procederet. Nam qui aliquatenus facta hujus novatoris cognoscit, ipsi verba Bonae 3) recte adaptata non negabit: „qui spiritu malo aguntur, leves sunt, inconstantes, turbidi inquieti, vehementes, sine maturitate, sine circumspectione. Nullius consilium admittunt, proprium judicium veterum Patrum institutis praeponunt, diligunt se, increpantes odio habent, peccantibus indignantur eosque corrigunt cum impatientia et contumeliis, in rem sibi propositam impetu quodam praecipites ruunt et in omnibus seipsos quaerunt. De propriis defectibus interdum

1) 4 Reg. XIII, 21. — 2) Pet. Bol. T. III. p. 164 et 202. — 3) Apud Ribet O. C. T. III p. 108.

gloriantur quasi a Deo missis ob custodiam humilitatis, negligentes interim eorum emendationem. Post peccatum, vel sibi blandiuntur, quia humanum est peccare; vel sibi irascuntur et misere contabescunt.”

Aliter sane intellexit magnanimitatem in reformandis moribus, ille qui coram patre suo bonis cessit, et usque ad vestimenta sua patri reddidit, ut majorem haberet facultatem dicendi: Pater noster qui es in cœlis.

L. B. Lorrenz 1) testimonia affert quibus historice probat: Lutherum post splendidam cœnam fortiter suicidio ad satanam descendisse.

S. Franciscum Assisiensem non sicut Lutherum in epulis et commensationibus invenies, sed in summa voluntaria egestate. Nec desperans suicidio vitæ finem imponit sicut Luther, sed suaviter moritur recitans psalmum CXLI: „Voce mea ad Dominum clamavi.... Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.” Et corpus illud pœnitentia maceratum et subnigrum, tamquam cadaver pulchrum, fulgidum et mirabilem odorem spargens, stigmata crucifixi Domini sui, quæ in vita sua ex humilitate velaverat, omnibus manifestabat. Quantam angustiam e contra cadaver Lutheri suis peperit, et propter intolerabilem fœtorem, et propter vultum nigrum linguamque exsertam! 2)

1) La fin de Luther. — 2) Lorrenz. La fin de Luther p. 35.

Magnanimitas duorum bellatorum.

* *

Magnanimitatem summum gradum attigisse mundus putabat, quum Napoleon I ex viliori statu ad maximam dignitatem ascendisset. Fortibus oculis spiravit Martem, sed facta ejus ambitione dirigebantur. Quando omnia fausta erant, caput erigebat, sed idem ille fortissimus in adversitate imbecillis ac enervis erat.

Quis umquam apud Napoleonem quævisset tantam animi debilitatem, ut suicidium tentaret? Et tamen ex certissimis testimoniis constat, eum conamina suicidii adhibuisse. Post receptum ex Russia venenum semper apud se habuit, quod aliqua nocte in desperatione sua exhaust, sed mors non secuta est, quia venenum vetustate vim suam perdiderat. 1) Merito exclamare possumus: „numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna?” 2)

* *

Simili modo per fortia facta ex obscuritate ad thronum gloriæ ascendit ille de quo dicitur in psalmo: 3) „elegit David servum suum et sustulit eum de gregibus ovium; de post foetantes accepit enim, pascere Jacob.”

Fortis erat corpore, qui dicere poterat: „leonem et ursum interfeci,” procedens contra Goliath, „in nomine

1) Cfr. Huguet. Terr. Chat. des Rév. p. 313. Legojt. Le suicide p. 40 et Dr. Brière Du suicide p. 437. — 2) Isaias XIV, 16. — 3) Ps. LXXVII, 71-72.

Domini exercituum;" 1) sed fortior animo, parcens Saul, cum bis eum occidere potuisset.

Magnanimior adhuc erat in throno sedens, non sicut Napoleon superbia obcæcatus manum porrigens ad sacra Domini, sed ante Dominum vilior quam olim, et humilis in oculis suis, ægre ferens, se in domo cedrina habitare et arcam Domini in medio pellium. 2)

Maximum magnanimitatis indicium præbuit, quando ex eodem throno descendens, fugiit a facie filii sui Absalon. Quam sollicitus de reverentia arcæ, quam in Jeruzalem reportari voluit. 3) Et quam sublimis fuit in medio injuriarum dicens: „dimitte eum (Semei) ut maledicat; Dominus enim praecepit ei ut malediceret David, et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?" 4)

Certe 5) „fuerunt ipsi lacrymae panes die ac nocte;" cum dolore exclamavit: „omnia excelsa Tua et fluctus Tui super me transierunt" — Sed non sicut Napoleon cogitavit de veneno, medicinam enim sumpsit dicens: „quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deo!"



Magnanimitas duarum Confessionum.

Confiteri peccata sua sub sigillo confessionis difficile

1) I. Reg. XVII, 36, 45. — 2) II Reg. VII, 2. — 3) II Reg. XV, 25. — 4) II Reg. XVI, 10. — 5) Uti patet ex ps. XLI, quem juxta Beelen: Het boek der psalmen, tunc enuntiavit.

jam est homini superbo, quanto magis publice omnia sua malefacta enarrare !

Hoc tamen sub specie magnanimitatis Satan inspiravit J. J. Rousseau. Spiritus nequam vanitatem ejus excitavit. et ecce confessiones Rousseau prodierunt. Ex fine intento non magnus sed vilis apparet animus. Non enim gloriam Dei misericordis, vel utilitatem hominum voluit, sed unice : ut homines eum cognoscentes admirarentur; si enim malum fecit non ipsi imputandum, sed naturæ et societati. Ideo nullam curam adhibet, ut castis verbis utatur, sed ipse stilus ejus jam castas aures offendit. 1)

Confessiones ejus sterquilinum sunt et sicut foetor sterquilinii immunda animalia trahit, sic confessiones Rousseau homines animales attraxerunt, uti v. g. illum juvenem de quo Cardinalis Alimonda narrat, quod, postquam fidem catholicam abnegaverat, et juxta philosophiam Rousseau aliquandiu vixerat, in sua desperatione ante statuam Rousseau in parva insula Genève, igneum globulum in cerebrum suum misit. 2)

Et ipse magnanimus et mirus apostolus moralitatis, qui „fuit encyclopédista, catholicus, protestans, rationalista, scepticus.... uno verbo, qui omnia fuit; qui Dei existentiam nunc confessus fuit, tunc iterum derisit; qui Sacramentum Baptismi suscepit et postea abnega-

1) cfr. Université Cath. T. X. p. 59 et 26^r. — 2) De l'aube au coucher du soleil, p. 449.

vit;" 1) quomodo e vita exivit? „Quod Rousseau in fine vitæ fuerit vere amens, nemo hodie hoc ignorat", dicit Brunetière 2), idemque confirmat Dr. Chatelau in opere: *La folie de J. J. Rousseau*. — Insuper „amici ejus Corancez, de Staël, Musset-Pathaj dicunt eum suicidio finem vitæ imposuisse. 3) — Mendax ergo fuit magnammitas et vera apparet vilitas apostoli immundi spiritus, evangelistae radicalismi ac anarchismi!

* *
*

„Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia Ejus..... Peccavimus cum fratribus nostris: injuste egimus, iniquitatem fecimus." 4) — Hoc faciendo magnus Augustinus maximus factus est. Scribendo enim confessiones, non quaesivit mirabilis fieri in oculis hominum, sed quaesivit: laudem Dei et instituere homines, ne iisdem quibus ille laqueis capiantur. Et quando pudenda describenda sunt, quam castis verbis utitur! Et si apud legentem haec impura cogitatio exoriri posset, statim exstinguetur lamentationibus Augustini, quibus horrorem peccati simul ac dolorem enuntiat, quod pulchritudinem divinam sero cognoverit et sero amaverit.

1) C. Alimonda. *Ib.* p. 444. — 2) *Revue des deux mondes*, 15 Févr. 1890. — 3) *Univ. Cath. T. X*, p. 246. — 4) *Ps. CV. 1, 6*.

Hae confessiones mentem Augustini non obscuraverunt, nec animum ejus taedio irreligioso repleverunt. Vixit enim fortiter in amore Dei, et confessiones ejus jam a saeculis evangelium factae sunt pro desperantibus. Deus scit, quot infelices lectio et meditatio earum a suicidio prohibuerint.





CAPUT IV.

De vera et falsa patientia.



„Patientia dupliciter juxta D. Thomam accipitur:
1^o. Pro virtute quæ format animum adversus timores et dolores mortis, quæ, enituit maxime in martyribus: hæc est pars fortitudinis integralis vel ipsa virtus fortitudinis inadæquate concepta.

2^o. pro virtute quæ in aliis malis animum confirmet, moderando moerores, qui ex illis percipi solent; ne videlicet propter hos a præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat, ut in morte parentum, filiorum, amicorum, in exilio, in damnis, in morbis, in contumeliis, aliisque id genus malis: hæc enim magnos moerores adferre solent, qui hominem sæpe ab arce rationis, ab officio virtutis deturbant et ad malum concitant: hoc modo est virtus annexa fortitudini.” 1)



1) Ita Theol. Wirceb. T. VIII. p. 341, n. 106.

Stoici sapientes esse voluerunt, dicentes se immunes ab omni desiderio et metu, a gaudio et tristitia, uno verbo : ab omni animi passione, juxta adagium Epicteti : „sustine et abstine.”

Stoici revere comparari possunt superbis navibus bellicis, quae propter scopulos incognitos mox naufragium patiuntur. Sic enim etiam illi, fortes et patientes in oculis hominum, in scopulis dolorum hujus vitae, vel patientiam amiserunt, vel vitae finem voluntarie imposuerunt.

Quamdiu dolores non experiebantur, leges faciebant sine affectione circa semetipsum vel proximum, sed ecce ipse Solon, unus ex septem sapientibus, qui scripserat regulas de moderando dolore in funeribus, cum falsum nuntium de morte filii sui accepisset, caput suum verberare coepit, et tam stulte se habuit, ut ipse Thales risum continere non posset. Ita Weiss. 1)

Ipse Gordianus, audita filii sui morte, statim laqueum sumpsit; vivere enim amplius noluit. Weiss. l. c.

„Ibi (in sepulchro) impii cessaverunt a tumultu, fessi robore.” 2) — Pulchre et alte dictum, praesertim Stoicis conveniens!

* * *

Dominus „pedes Sanctorum Suorum servabit, et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine

1) L'homme complet T. I. p. 504. — 2) Job. III. 17.

sua roborabitur vir." 1) — Et dum Stoicus in adversitate deficit ac remedium quærit in suicidio; justus et sanctus „in vastitate et fame ridebit et bestias terrae non formidabit" 2) — dicit enim S. Gregorius: „sancti viri quia contra multiformem adversarium se pugnare considerant, semetipsos in certamine multipliciter parant: habent enim contra famem, divini verbi pabulum; contra belli gladium, continentiae scutum; contra flagellum linguae, protectionem patientiae." 3)

„Quando pueris displicet ludus, dicunt: nolo amplius ludere; idem faciendum quando tædet te vitæ tuæ." Ita Epictetus. 4) — E contra veri Christiani meditantur verba Domini: „in patientia possidebitis animas vestras." 5)

* *

Exempla veræ patientiæ.

* *

„Quando tristitiæ undæ cor tuum obruere conantur, noli desperare, sed quære Dei misericordiam sicut infans afflictus sinum matris suæ." — Quis hoc dixit; an Zeno, an Epictetus? Nequaquam, sed virgo imbecillis Hollandiæ, nempe S. Lidwina ex Schiedam. Hæc jam a primis annis semetipsam Deo consecrare cœpit; dein, timens ne pulchritudo voto castitatis obsesset, rogavit Dominum ut eam fœdaret.

1) I Reg. II. 9. — 2) Joh. V. 22. — 3) Lib. mor. VI. C. 15. — 4) Disc. I. c. 24. — 5) Luc. XXI. 19.

Aetatis suæ anno decimo quinto, lapsu super glaciem, costa fracta est; exinde per 38 annos super lectum doloris manere coacta est. Omnem escam abominata est anima ejus, ita ut cum Job dicere potuerit: „antequam comedo suspiro.” 1) — Stomacho vacuo somnus ei nullus vel modicus erat, et bene in ore S. Lidwinæ ponuntur verba Job: (angores) „noctem verterunt in diem — Si dormiero dicam: quando consurgam? et rursus expectabo vesperam et replebor doloribus usque ad tenebras. — Induta est caro mea putredine; — putredini dixi: pater meus es tu; mater mea et soror mea vermibus; — nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt (vermes) non dormiunt; — ossa mea aruerunt præ caumate” (ardore). 2)

Testantur enim scriptores vitæ ejus: „cœperunt proxima commarcescere ventris intestina, et vermes horridissimi, modo quodam inaudito, de profundo corporis ebullire. Dextra scapula putrescere cœpit, adeo ut non nisi fasciis ad hoc aptis in aliam posset gyrari partem, alioquin compago membrorum fuisset prorsus dissoluta... Dextrum brachium ignis, quem vulgus sacrum nominat, usque ad ossa consumpserat; uno tantum nervo firmiore pendulum reliquæ massæ corporis cohærebat. — Sicut Psalmistæ oculi sic etiam S. Lidwinæ „languerunt præ inopia;” 3) nam unum perdidit et alius tam debilis erat,

1) Job. III, 24. — 2) Job. XVII 12 - 14. - VII, 4. 5. - XXX, 17 30
3) Ps. LXXXVII, 10.

ut lumen ipsi esset martyrium — Capitis et dentium dolores, tamquam carnifices eam affligebunt. — Angina eam fere suffocabat, præsertim quando fluxus sanguinis per nares, os, imo per oculos et aures cum angustiiis anginae conspirabat. — Calculi insuper tortura vexabatur; ubera ejus pustulis plerumque saniem emittentibus operta erant, nec erat inter S. Job et S. Lidwinam differentia, nisi quod Job in sterquilinio sedens testa saniem raderet 1), Lidwina tibiæ ac pedum sensibilitate privata in lecto jaceret. Quando pestis Hollandiam intravit inter primos quæsivit S. Lidwinam. — Uno verbo, omnium morborum semina in corpore ejus esse videbantur, quæ infra 38 annos germinaverunt.

* *

Hisce corporis torturis adde afflictiones animi. Initio enim Deus sensibili sua consolatione eam privavit, ita ut cum Psalmista dicere posset: „Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?” — „Dormitavit anima mea præ tædio.” 2) Dein ab hominibus fere derelicta, querelæ Job et Davidis 3) ipsi conveniebant: „necessarii mei recesserunt a me.” — Qui videbant me foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde. Factus sum tamquam vas perditum.” Cum ad Job loquerentur homines, vulnus cordis aggravarunt, sicut dicit: „consolatores onerosi omnes vos

1) Job, II, 8. — 2) Ps. XXI, 2. - CXVIII, 28. — 3) Job. VI, 13 - Ps. XXX, 12, 131

estis; verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus." 1) Sic etiam, præsertim una persona, gravissime ac continuo Lidwinam injuriis afficiebat. Quod autem S. Scriptura 2) testatur de Job: „in omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est;" idem de S. Lidwina testimonium historiæ scriptores referunt.

Epictetus cum Stoicis, „qui æstimaverunt lusum esse vitam nostram," 3) quoties jam in tali vita justissimam rationem invenissent finiendi lusum! Et virgo paupercula, scientia sæculi quidem privata, ast scientia Dei repleta, non tantum mirabiliter serena et patiens manet, sed superabundat gaudio, ita quidem ut consolationibus terrenis opus habere nollet, vendens pauca bona, quæ mater defuncta ipsi reliquerat, dans illa pauperibus cum elemosynis, quas dux Baviaræ ipsi dederat!

Nam Deus, Qui superbis resistit, et sicut dicit S. Paulus: 4) „tradidit illos in reprobum sensum: ut faciant ea quæ non conveniunt;" Qui pauperes de stercore erigit, collocavit S. Lidwinam cum principibus sanctis populi sui.

Sicut exemplar ejus Job 5) in fine probationis suæ dicebat: „auditu auris audiavi Te, nunc autem oculus meus videt Te;" sic etiam S. Lidwina sanctas inspirationes audivit, et demum sponsus ejus Jesus Christus

1) Job. XVI, 2, 22. — 2) Job. I, 22. — 3) Sap. XV, 2. — 4) Ad Rom. I, 28. — 5) Job. XLII, 5.

illi apparuit, ac sacra Vulnerum stigmata corpori ejus impressit, quæ autem juxta desiderium humilis virginis invisibilia pro hominibus manserunt.

Et post mortem, quæ accidit anno 1433, corpus illud, quod instrumentum fuerat tantæ patientiæ, solidum pulchrum ac odoriferum factum est.

Quis adhuc cogitat de fortitudine et mira tranquillitate animi Stoicorum, qui olim quidem et fortasse hodie etiam ab incredulis laudantur ubi non sunt, cruciantur vero ubi sunt ?

S. Lidwina vero, sicut S. Job, in memoria æterna est et honorificentia populi Hollandiæ. 1)



Fortissimo Gordiano vero, qui ad nuntium de morte filii sui laqueo se suspendit, duas matres Christianas opponamus, ut sic confundatur sapiens hujus sæculi ac verum appareat dictum S. Augustini: " pari motu exagitatum, et exhalat horribiliter cœnum et odoratum unguentum." 2)

Melithon natu minimus 40 SS. Martyrum ex Sebasten supervixerat. Quem cum præsens mater ejus, fractis cruribus adhuc viventem vidisset, sic cohortata est: Fili paulisper sustine; ecce Christus ad januam stat,

1) Quæ de S. Lidwina dixi sparsim invenies apud: Ribet. La myst. div. T. II. p. 447-453. Apud Dr. Imbert-Gourbeijre. La stigmatisation T. I. p. 83 91. Apud Petits Bo!. T. IV, p. 404-406.
2) De Civ. Dei LI, c. 8.

adjuvans te. Cum vero reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quod speraret impia turba, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse, ipso in humeros sublato, fortissima mater vehicula Martyrum corporibus onusta, prosequabatur. Melithon in amplexu matris spiritum Deo reddidit. Corpus ejus mater heroica cæteris Martyrum corporibus conjunxit, in eundem rogum injiciens. 1)

* * *

S. Gregorius Magnus de S. Felicitate dicit: „Septem filios sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit.” 2)

* * *

Gordianus sapiens hujus sæculi, qui in societate vixit cum celebratis philosophis: Aristotele, Platone, Cicerone et Virgilio, mortem filii sui supervivere posse non putavit; duæ autem mulieres Christianæ filios suos ad mortem sanctam adhortantur! Quis poterit differentiam explicare, nisi ille qui scripsit ad Thessalonicenses: „ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent?” 3) Bene dixit Lamartine 4) loquens de suici-

1) Brev. Rom. X Martii. — 2) Hom. 3 in Evang. — 3) Thess. IV 13. — 4) Apud Legoijt. O. C. p. 77.

dio Catonis: „puto mortem quam minimus mendicorum patienter super lectum stramineum expectat, gloriosior rem esse quam mors quam Cato impatienter quæsit gladio suo. Cato resistit Deo, mendicus obediens est; jam vero Deo subditus esse, vera est gloria.”

* * *

Dr. Debreijne 1) narrat: hominem pauperrimum prohibuisse suicidium viri nobilis. In eo ut se occideret accurrit et arma ejus arripit. Tunc vir nobilis iratus cum gladio vult irruere in pauperem. At ille: percutite inquit, nec ego timeo mortem, ast majorem quam tu habeo fortitudinem. Per annos plus quam viginti in afflictione et miseria vivo, sed Deo curam reliqui finem faciendi doloribus meis.

Vere dixit S. Hieronymus Epist I ad Dem: „Non est quod sibi aliquis de generis nobilitate blandiatur, si ex meliori parte (animæ) sit servus.”

Non est nobilitas, nec virtus nisi coram Illo, ad quem dixit Job: 2) Numquid oculi carnei Tibi sunt, aut sicut videt homo, Tu videbis?” — „Homo (enim) videt quæ parent; Dominus autem intuetur cor.” 3)



1) Du Suicide p. 100. — 2) Job. X. 4. — 3) I Reg. XVI. 7.



CAPUT V.

Educatio in illis qui se occidunt.



Ab una parte dicere possumus, suicidium provenire ex ignorantia, nempe ex illa voluntaria de qua loquitur S. Scriptura, et quam habent illi, „qui dixerunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum Tuarum nolumus; — qui rebelles lumini nescierunt vias Ejus” 1) ac de quibus dicit Psalmista: „noluit intelligere ut bene ageret.” 2)

Ab altera parte dicere possumus provenire ex institutione ac educatione impia, quam tradunt „vani homines, in quibus non subest scientia Dei” 3), et quam amant illi qui veritatem odio habent.

Doctrina alia est tota impia, alia autem neutralis; sed ambo directe vel indirecte infeices ponunt in via suicidii.

1) Job. XXI, 14 - XXIV, 13. — 2) Ps. XXXV, - 3) Sap. XIII, 1.

Impia institutio traditur ab iis, „qui quaecumque quidem ignorant, blasphemant: quaecumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt in his corrumpuntur.” 1)

Tales aperte docent: „mors unicum remedium est desperationis”; Holbach — „Suicidium est actus libertatis”; M. Lerminier — „Quando homo clare exponit motiva, quæ eum impediunt ad longius vivendum, non ei negandum est jus suicidii.” M. Littré. 2)

Haec autem doctrina consecutio est systematum quæ sub nomine Rationalismi, Positivismi, Darwinismi, Pessimismi etc. hominem ad insipientiam ducunt dicendi in cordi suo: non est Deus. Ex impia institutione hujus temporis, homo superbia elatus seipsum adorat sicut Nabuchodonosor, sed mox sequitur assimilatio cum statu bestiali.

Mirum enim quanta ab una parte scientia hominem superbire faciat, et ab altera parte semetipsum despicere. „Inter omnes spirituum modernorum creationes, una idea principalis apparet ac unitatem facit formidabilem: idololatria hominis a Deo abstracti, et unice in semetipso confidentis; et hæc idololatria nominatur: humanitas libera. Verbum hoc indicat compendium omnium cogitationum modernarum; finem ad quem ten-

1) Epis. Judæ 10. — 2) Cfr. Legoijt, Du Suicide, p. 95-100.

dit omnis civilisatio hujus saeculi; clavem ad penetrandum in animum hujus mundi." 1)

Idem cl. Auctor dicit: „cum animi dolere videmus, arrogantiam scientiae quotidie causam ponere, quod dignitas hominis contemnatur. Inter Voltaire, Rousseau et Kant vera existit aemulatio, ut verbis maxime contentibilibus loquantur de homine." 2)

* * *

O quam gloriosum est homini, quod Ernest Haeckel docet: eum a simia originem ducere!

Et conclusiones hujus scientiae quam sublimes!

Juxta De Bonniot, Carolus Richet ex scientia illa deducit: „inter hominem et canem minorem esse differentiam, quam inter canem et crocodilum; — cerebrum animalis parvum est, ideo intellectus ejus parvus; cerebrum hominis magnum est, ideo intellectus ejus magnus; haec sola differentia." 3)

Quamvis Richet animalia fratres suos nominet et cum persuasione reputet, tamen propter utilitatem scientiae, quae servire debet idolo humanitatis, ea viva dissecat.

Ejus principium est: „quia tot sunt animalia quae patiuntur, breves dolores aliquorum animalium (quae dissecantur) nihil reputari debent, ut scientiae experimentum capiatur."

Quod principium extendens ad superiora animalia,

1) Ita Weiss, *L'homme complet* I, p. 73. - 2) Idem *O. C.* p. 94.
3) *La Bête comparée à l'homme* p. 34 et 40.

medicus alicujus nosocomii, ubi multi ægroti jacebant, jussit unum ex iis, de cujus sanitate desperabat, sumere et in jus redigere (en faire du bouillon) pro cæteris ægrotis; nam scientia ipsi dictaverat, hoc jus carnis humanæ maxime medicinale et efficax fore. — Hoc factum relatum est in opere citato De Bonniot. p. 47.

Hoc principium reducit ad Paganismum, „in quo contentus hominis tam gravis fuit, ut medici ex amore scientiæ homines viventes dissecarent. Tertullianus narrat, Herophilem sic plus quam 600 homines disse-cuisse." Ita Dr. Imbert Gourbeire. 1) Hæc doctrina etiam propriam vitam ita contemnet, ut quando tædium occurrit, laqueum quærat.

* *
*

Doctrinæ modernæ bene accommodare possumus verba sapientiæ: 2) „Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed et in magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala, pacem apellant". Verumtamen, „non est pax impiis, dicit Dominus." 3) Et hoc confirmant auctores qui de suicidio scripserunt. „Suicidium non est ægritudo simplicium corde et spiritu, sed ægritudo eruditorum ac philosophorum; et si hoc sæculo nostro etiam artifices hoc malo laborant, causam quæras in eo, quod spiritus eorum continuo

1) La Stigmatisation T. II, p. 519. — 2) Sap. XIV, 22. —
3) Is. XLVIII, 22.

agitatus et exasperatus sit scientia et civilisatione moderna." Ita Saint-Marc Girardin 1). Et hoc loco inserere vellem catalogum quem in suo opere de suicidio habet, A. Legoijt; si hunc mente percurrimus, nomina oratorum ac philosophorum certatim nobis occurrent, qui vel ex vitæ tædio, vel ex ignavia mortem sibi intulerunt. Philosophus Friedrich Nietzsche, qui verbis et operibus suis juventutem docere voluit: „nihil verum esse et omnia licita esse" — anno 1889 amens factus est. In amentia sua continuo clamat: „stupidus sum" (ich bin dumm). 2) — Hæc verba pulcherrime tamquam epitaphium possemus inscribere sepulchris omnium philosophorum, qui suicidio finem vitæ imposuerunt. Possentque addi verba S. Scripturæ: „qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impinguetur in laqueos mortis." 3)

* *
*

Impia institutio, uti vidimus, saepe directe ad suicidium ducit; nunc videbimus, sic dictam neutralem idem indirecte efficere.

„Negare non possumus progressionem discendi, quando religio excluditur, magna ex parte parere suicidium.... Institutio enim auget facultatem sentiendi. Dolores morales, qui mimini sunt apud ingenia inculta, acerrimi sunt apud ingenia culta, quia ultimas vident consequen-

1) Apud Dr. Brière O. C. p. 495. — 2) In Ephemeride: Het Dompertje 1893, p. 17. — 3) Prov. XXI, 6.

tias eventorum, de quibus nihil mali suspicantur indocti... Potest ergo tamquam regula generalis poni: augmentum dolorum directe sequi ex ingenii cultura, et si hic animi affectus aequipondium in religione non invenit, incitamentum fit suicidii." 1)

Idem dicit Yves de Querdec: „Etsi scientia physica perveniat ad diminuendum dolores, plane impotens est ad sanandum dolores animi. Augendo commoditates vitae plurimis sane desideriis satisfacit; sed desiderium cordis humani tam mirum est, quod augeatur ipsa satisfactione." — „Auctores scholae neutralis tremantes conspiciunt opus suum. Criminum adauctus; suicidia quorum numerus quovis anno multiplicatur et quorum contagio inter desperatos magis magisque juniores propagatur.... animum reflectere faciunt. 2)

„Ex catalogo M. Balbi patet suicidia frequentiora esse in omnibus mundi regionibus, ubi institutio maxime est extensa. Et aliter esse nequit, quia institutio sola sine educatione religiosa, nihil facit nisi ortum et incitamentum dare passionibus." 3)

„Intra quinque annos in Borussia 289 infantes qui scholam frequentabant, vitam sibi adimerunt." 4)

Vere dicit Jeremias: „Stultus factus est omnis homo a scientia." 5)

* *

1) Legoojt, Le Suicide p. 310. — 2) In: Le Monde 15 Oct. et 17 Dec. 1894. — 3) Dr. Debreijne O. C. p. 180. — 4) Ned. Kath. Stem. 10 Sep'. 1893. — 5) Jer. X, 14.

Praeceptores neutrales de religione cogitant, sicut in libro Job 1) adulteri de lumine: „Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant.” Umbram mortis putant: solum nomen Dei vel religionis. Quos autem instruunt juvenes, sicut eos describit Baruch: „juvenes viderunt lumen et habitaverunt super terram: viam autem disciplinae ignoraverunt.” 2) Lumen mentis eorum acuitur doctrina de qua loquitur Muller: „falsa est doctrina Pantheistarum modernorum, qui sibi complacent in assertionem omnem virtutem esse scientiam, atque scientia in homine existente, eundem peccare non posse, et quicumque peccet, illum propter ignorantiam peccare.” 3) Sub hoc respectu non satis praemonere possumus contra astronomiam M. Flammarionis, quae hodie pervulgatur, in qua traditur doctrina metempsychosis, qua anima dicitur continuo incarnanda; scientia autem tamquam virtus reputata, perfectionem vitae, sic dictae Uranicae (vie Uranique), determinabit. — O quam neutralis doctrina, praesertim pro illa juventute quae omni passioni indulgere vult, et nunc nullo amplius mortis praematurae timore retinebitur; e contra quae suicidium, sive lentum per venenum passionum, sive breve per venenum physicum desiderabit, ut peregrinationem ad stellas suscipiat! 4)

1) Job. XXIV, 17. — 2) Bar. III, 20. — 3) Theol. mor. T. I. p. 399.
4) cfr. Ortolan, Astronomie et Theol. p. 335-339.

Si homo peccare non potest scientia in eo existente, certe utilis fit ipsi arithmetica et chemia, quas addiscit in schola, ut possit invenire modum quo sine periculo incidendi in manus justitiae humanae occulte fraudes committat ac sese defendat.

Nam quia Deum non cognoverunt audaces fiunt, et si fraus detegitur, nonne si volunt poenas humanas morte voluntaria effugere possunt? -- Quot in hac materia tristia et fere quotidiana cernuntur exempla!

* *
*

Postquam tempus institutionis praeteriit, de omnibus aliquid sciunt, praeterquam de uno necessario: de Deo ac de virtute, et ingrediuntur mundum tamquam „filii insipientes et vecordes: sapientes ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.” 1)

Scientia inflati se ad omnem dignitatem vocatos putant, non ut in hac dignitate utilitati communi serviant, sed ut pecuniam acquirant, qua voluptates emere possint. Deum a se et a sua mente excludentes libidini vacant, sicut equus et mulus quibus non est intellectus, et sic conjugium suscipiunt. Amor conjugalis ligatur duobus: voluptate et pecunia; quæ si deficiunt, amor in odium mutatur. Separatio sequitur; de hac autem dicit Legoyt: „Suicidium summum gradum attingit inter eos qui separati sunt per divortium.” 2)

1) Jerem. IV, 22. — 2) Le Suicide p. 312.

Scientia inflati omnia vitæ problemata solvere se posse putant; ecce mox stant ante problema doloris. Fugare illum volunt, et ecce undique surgit novus dolor. Et contingit illis quod prædixit propheta Babylo- ni: „Veniet super te malum, et nescies ortum ejus.” 1)

Tunc adeunt eos qui dicunt se sapientes, sed quorum scientia est illa, de qua dicit Ecc^{us}: „Scientia insensati inenarrabilia verba.” 2) — Legunt libros philosophorum incredulorum, libros romanenses, impia diaria etc.

Et quid sequitur? Ex lectione philosophorum fiunt quasi folia quæ vento rapiuntur, et dicunt, sicut puer qui laqueo se suspendit: „dedico animam meam Joanni J. Rousseau et corpus meum terræ.” 3)

Quid sequitur ex lectione operum philosophi Schopenhauer, præsertim quando eum consulunt tractantem dolores hujus vitæ atque sequentia legunt: „vita hominis est sicut momentum horologii transiens a dolore ad tædium, a tædio ad dolorem?” Pessimismus Schopenhauer, dicit Legojt, multos in Germania discipulos habet et tamquam causa indicatur tanti numeri su- cidiorum, quæ ibi fiunt. 4) Ipsum autem fuisse folium vento agitaturn, patet ex iis quæ de illo tradit Weiss: „Quum in lecto mortis positum dolores cruciarent, labia ejus involuntarie emis- erunt verba: Deus, Deus! Tunc medicus rogavit: an ergo Deus est juxta philosophiam

1) Isaias XLVII, 11. — 2) Eccl. XXI, 21. — 3) Dr. Debreyne O. C. p. 25. — 4) Legojt O. C. p. 235.

tuam? Et philosophus: in doloribus philosophia mea deficit sine Illo." — Paulo post dolores ejus cessaverunt. Tunc medicus occasione usus est et in mentem ejus revocavit exclamationem: Deus, Deus! atque de aeternitate et Christo Salvatore eum adhortatus est. Ad hæc verba moribundus agitabatur dicens: „noli me vexare talibus terriculis, quæ valent pro infantibus; philosophus Christo non indiget." 1)

* *

„Veniet super te malum et nescies ortum ejus." — Et quærent in libris romanensibus ortum mali. Legunt Goethe, de doloribus Werther, librum in quo propriam suam vitam depinxit, et qui juxta Weiss: diluvium lacrymarum et febrim suicidiorum provocavit, non tantum in adolescentibus sed et in viris. 2)

Libri romanenses, ad quæstionem: quare infelix sum? respondent: fatum [te persequitur! — Et remedium quale assignant? Soulie indicat suicidium „tamquam jus criminis et miseriæ." — E. Sue: suicidium „quod nemini nocet." — G. Sand: „in eo homo animalibus superior est, quod intelligere possit, ubi sit malorum omnium remedium. Remedium est suicidium." 3) Non mirum auctorem citatum addere: „in patria nostra suicidia terribiliter multiplicantur."

* *

1) Weiss, L'homme comp'et. T. I. p. 396. — 2) Weis. O. C. p. 289. — 3) Chevalier, Le Livre de celui qui souffre T. III, p. 343.

„Veniet super te malum et nescies ortum ejus.” — Et investigant ortum ejus in diariis, præsertim in additamentis romanticis (feuilletons). Unum admirantur: inveniunt ubique dolorem! Ex omni terra, ex oppidis et pagis legentibus occurrit dolor humanitatis. Sed impia diaria non explicant ortum ejus, nisi per verba, quæ indicant: dolorem esse fatum ineluctabile; quem si multi effugere quærunt laqueo vel veneno, non improbant, sæpius autem laudant.

Persuasissimum est impiis diariis, suicidium remedium unicum esse dolorum. Nonne diarium (De Nieuwe Rotterdammer 1) obscurum putavit, quod Dreijfus, — qui, uti notum est, secreta militaria detexit, et ideo in carcere inclusus est, quamvis arma ipsi relictæ essent, iis usus non sit ad seipsum perimendum?

Qualem conclusionem facient dolorosi post lectionem? Ergo ego etiam quæram tale remedium.

* *

„Veniet super te malum et nescies ortum ejus.” Theatra adeunt, ut ibi inveniant mysterii doloris ac tædii declarationem. Sed et ibi responsum mortis accipiunt: „quando omnia perditæ sunt et nulla restat spes; vivere probrosum, mori officium est.” Voltaire.

Nonne suicidium prædicatur in tragædiis, uti sunt: Lucia de Lammermoor, ubi amans exclamat: „veni in

cœlis recipere me?" — Tragoedia: Infamis (Eerloos), in qua uxor pecuniam pro filio perverso et dilapidatore furatur — in qua, quia mater ipsa amplius furari recusat, filio claves tradit ad furtum perpetrandum — in qua demum pater ipse pecuniam publicam arripit ac filio tradit, ne infamis fiat; et post hæc? — Pater igneo globulo seipsum percutit. 1)



Non ergo suicidium committitur ex ignorantia, sed ex falsa doctrina de qua loquitur Isaias: „Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum: ponentes tenebras lucem et lucem tenebras." 2)

Lubet hic addere historiam Eugenii de Genoude, ex qua dicta de institutione mala confirmantur.

Eugenius natus 1792, mortuus 1849, etiam in incredulitate sua expertus est veritatem verborum Isaïæ: „Veniet super te malum et nescies ortum ejus." Felicius quam multitudo incredula hujus sæculi, aures præbuit gratiæ divinæ et ortum dolorum invenit. Audiamus ipsum narrantem vitam suam.

In juventute mea omnes versus Voltaire memoriæ tradebam; ejus lexicon philosophicum legebam. Per illum omnia me cognoscere putabam; religio autem nullatenus mihi nota erat, nisi sicut illam depingit Voltaire. Primo triumphabam, ingenium magnum me ha-

1) Ephem. Het Dompertje 1871, p. 105-107. — 2) Is. V. 20.

bere putans; cum miseratione circumstantes me aspiciebam, illudens omnibus qui coram me de Christianismi loquebantur. Tunc legere incipiebam opera Diderot et Helvetii — Deus, anima etc. mihi tenebræ crassæ apparabant. — Nox atra spiritum meum operuit. Nam fidem in Deum amittens, etiam de propria existentia dubitabam et tamen existentiam perdere timebam, nihil enim tamquam spectrum ante oculos versabatur — Cor meum interim continuas angustias sentiebat, ac copiosas fundens lacrymas, sæpius finem vitæ imponere volui. Semel flumen trajicere debebam et tunc magnum desiderium me apprehendit finem faciendi doloribus prosiliendo in aquas. Nescio quomodo ab hac tentatione evaserim.

Videte nunc ad quantam insaniam cultus doctrinæ Voltaire me adduxerat; exemplum meum simul explicat, quare hodie tot suicidia perpetrantur. — Postea Eugenius ab aliquo sacerdote bonos libros recepit et inter illos etiam Scripturam Sacram.

Hæc præsertim ipsum docuit ortum dolorum hujus vitæ, nempe: peccatum originale. Sed non tantum ipsi indicavit ortum sed et medicum dolorum: Redemptorem Dominum Jesum Christum. 1)

* * *

O si multitudo ista insipiens, tædio vitæ solatium

1) cfr. Huguet, Cél. Conv. p. 76-93.

quærens in theatris, oculos converteret ad paradisum! In tragœdia illa prima cognoscerent auctorem omnium malorum, nempe: diabolum ex invidia seducentem primos parentes, illosque voluntarie legem divinam transgredientes.

Sed eheu, theatra quæ frequentant sunt domus diaboli; (sicut, teste Tertulliano, ipse confessus est, quando ad exorcistæ quæstionem: quomodo mulierem christianam possidere potuisset, respondit: quia illam inveni in domo mea, nempe in theatro, quod mulier illa visitaverat.) 1)

In theatris spiritus superbus tamquam causam dolorum non indicabit invidiam suam qua mors intravit in mundum, nec spiritus mendax inobedientiam hominis, in qua peccatum originale consistit. E contra, in domibus suis docet: non esse Deum, neque peccatum, neque hominem liberum esse in re morali, sed omnia fato ineluctabili regi. Et quando tragœdiæ finiunt cum suicidio — fati necessitas adoratur.

Quando videmus hominem in theatris mundi solatium doloribus quærentem, applicare possumus verba David: „ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.” 2)

O quantopere humiliatus est homo in scenis hujus sæculi; comparatus jumentis insipientibus, et non tantum,

1) Pet. Bol. VIII, p. 392. — 2) P. LI 9.

uti dicit Psalmista, similis factus illis, sed inferior. Quando servi diaboli regem rerum creatarum, qui olim in paradiso nomen omni animali imposuit, denudaverunt, omnemque ejus miseriam cum animi vulneribus publice monstraverunt, tunc ostendunt in fine laqueo suspensum et clamant: ecce homo! Dein Satan ridet, ac homines qui in domo ejus sunt, plorant lacrymis iracundis propter fati duritiem.



Omnes auctores fatentur, suicidium in medio aevo perrarum fuisse. Si autem causam quæris, in fide illius temporis invenies. In spectaculis medii ævi sæpius Passio Domini nostri Jesu Christi populo demonstrabatur. Tunc etiam in theatris dicebatur: ecce homo! non autem ostendebant hominem laqueo suspensum vel globulo ignito percussum, sed Jesum Christum, Qui languores nostros Ipse tulit et dolores nostros Ipse portavit.... vulneratum propter iniquitates nostras, attritum propter scelera nostra; Jesum Christum, flagellis cæsum, spinisque coronatum; quia omnes nos sicut oves erravimus, ideo livore Ejus sanati sumus; Jesum Christum, Qui in cruce oblatus est, uti Ipse voluit. O si homines hujus sæculi etiam Jesum Christum aspicerent, seipsos desperantes non traderent morti, sed viverent anima et corpore. Quantam enim efficaciam habeat aspectus Crucifixi, patet in B. Bernardo de Corléon. († 1667.)

Hic magnus et publicus peccator fuit, omnibus passionibus malis indulgens, ita ut tamquam fera bestia viveret, pro levissima causa homicidium committens. Cum exequiæ inimici ejus celebrarentur, tam inhumanus erat, ut publice inter solemnia gaudium suum de inimici morte demonstraret. Ideo omnibus odiosus factus, sese abscondere debuit. Nesciens ubinam requiem inveniret, intravit aliquam ecclesiam, in qua circumspiciens, oculos in Crucifixum conjecit. Ecce, hic aspectus mutavit desperationem ejus in spem. Et qui spiritualiter mortuus erat in oculis Dei, ad necem quæsitus ab hominibus, desperatione sua ad extrema ductus, lacrymat præ animi dolore, ob Deum offensum; offert semetipsum ad pœnitentiam faciendam; intrat monasterium, ubi vixit tamquam exemplum pœnitentiæ, et quidem tantæ, ut Clemens XIII eum inter Beatos adnumerare non dubitaverit. 1)



Dr. Brière, narrat de aliquo vinitore sequentia: desperatione plenus erat, quia matrimonium inire non poterat cum illa quam amabat, sed qui ejus amorem contemnebat. Ideo in sua desperatione nullum remedium validum reputabat, nisi suicidium. Antequam vero

1) Cfr. Pet. Bol. T. I. p. 336. *Nota.* Quantopere etiam hæc maximi peccatoris et criminosi conversio, doctrinam de insaniam morali, qua quis, etsi non amens, necessario crimina repetit, luculenter refutat! Cfr. Pars I. Q. XII.

mortem sibi inferebat, voluit, illi quam amabat, decretum suum notum facere. Cum epistolam scriberet, casu oculos in crucifixum, parieti infixum, conjiciebat. Et ecce, crucis aspectus animæ tranquillitatem efficit..... calamum projicit et lacrymans infernale propositum cum meliore mutavit. 1)

* *

Si pueris nota esset tragœdia crucis, non legeremus tot suicidia ab infantibus perpetrata; non legeremus, quod adnotavit Falret, puerum 12 annorum laqueo se suspendisse, quia in examine non primum sed secundum locum assecutus fuerat. 2) Contrarium enim exemplum habemus in pio sacerdote J. J. Allemand. († 1836.) Cum adhuc puer, in distributione præmiorum multa præmia domum cum animi lætitia afferret et gloriabundus matri suæ ostenderet, illa inhumaniter dixit: pone præmia tua in culina et ascende ad cubiculum tuum. Omnibus perspicuum erit, talem tentationem puerum gratulandum ad extremam tristitiam reducere debuisse, et si in hoc casu extrema tentasset, matrem accusassemus. Puer autem pius et obediens cubiculum intrat et.... tristitiam suam exonerat ante imaginem Crucifixi Domini nostri. 3)

* *

1) Du Suicide, p. 614. — 2) Apud Legoijt, Le Suicide, p. 160. — 3) Pet. Bol. T. XV, p. 286.

Proh dolor! etiam in sæculo nostro prædicamus Christum crucifixum, multis sicut olim Judæis scandalum, vel gentibus stultitiam. Nam scientia inflati, in juventute sunt sicut Josef Droz, 1) qui de se confitetur: „in juventute mea quærebam loca pulchra naturæ. Quando autem in collibus vel juxta vias Crucifixi imaginem videbam, statim oculos avertebam, et dicebam, quare homines illa loca beata tristia faciunt, ponendo ibi instrumentum supplicii?

Respondere possumus ad illud quare Josephi Droz et incredulorum hujus sæculi, cum verbis S. Pauli: quia Christianis Crucifixus Dei virtus est et Dei sapientia; „quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei fortius est hominibus.” 2)

Respondere possumus ex hymno Ecclesiæ: „Vexilla Regis prodeunt: fulget crucis mysterium, qua vita mortem pertulit et morte vitam protulit.” Ideo crux spes unica.

Hodie autem parentes indifferentes et magistri impii vel neutrales omnem spem in animis juventutis alent, præter spem unicam crucis. Olim in omnibus scholis crux ante oculos juventutis pendebat, ut cognoscerent Christum crucifixum, sicut dicit S. Paulus: „Dei virtutem et Dei sapientiam” esse; ut sciret juvenus Chris-

1) † 1850 post conversionem ad fidem, cfr. Mgr. Baunard, *La foi* T. II, p. 39. — 2) I Cor. I, 23—25.

tiana: „Christum passum esse pro nobis, vobis relin-
quens exemplum, ut sequamini vestigia Ejus.’ 1)

Olim in omni domo Christiana, in cubiculis ac cœna-
culis crucis imago parieti affixa apparebat; hodie autem,
quia supellex juxta paganismum formata est, inter tot
imagines et tabulas pictas paganismi, pro Crucifixo locus
nullus restat.

Olim quidem etiam juvenus passionibus seducta vias
peccati deambulavit, sed quia Crucifixum cognovit a
primis annis, fidemque non amiserat, quando doloribus
cruci affigebatur, cum bono latrone clamabat: „Domine
memento mei.” Hodie vero, quando juvenus dolore
animi, tædio ac tristitia cruci affixa pendet, sicut malus
latro blasphematur, ac blasphemans mortem acceleratam
subit.



An ergo numquam admittenda ignorantia inculcata
in eo qui suicidium committit?

Casus nequaquam impossibilis est; ideo multi dicunt,
Raziam, de quo agitur in libro secundo Machabeorum,
ignorasse in tali quo positus erat casu, illicitum fuisse
gladio se petere.

S. Alphonsus in sua theol. mor. habet: „absque di-
vina auctoritate, non licet seipsum directe et ex inten-
tione occidere.

1) I Petri II, 21.

Dixi: absque auctoritate divina, propter Samsonem et quosdam martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione vel ex inculcata ignorantia." 1)

A. Lehmkuhl sequentia habet: „sibi positive proprio Marte necem inferre, natura duce, ab omnibus qui sana ratione utuntur, semper pro gravissimo peccato habebatur: quamquam in quibusdam difficilioribus circumstantiis, non ita clare ubique et ab omnibus, criminis ratio deprehenditur, ut invincibilis ignorantia debeat negari." 2)

Gousset autem dicit: „Si quidam martyres seipsos occiderunt insiliendo in ignem, ad quem condemnati erant, vel provocando feras bestias quibus objiciebantur, dici potest, eos hoc fecisse ex inspiratione Sancti Spiritus, vel ex zelo religioso, putantes non recta sed bona fide, eos sic agere potuisse ad confundendos tyrannos." 3)

Casus ergo de quibus agunt theologi, toto cœlo differunt a casibus de quibus agunt auctores de suicidio. In ultimis enim, non est sermo de zelo religioso, sed de incredulitate et atheismo; non est sermo de servanda castitate, sicut in S. Pelagia Virgine, quam S. Joannes Chrys. laudat, quia ex domus tecto deorsum se misit, ut evaderet ex manibus eorum, qui ipsius virginitatem violare volebant, 4) sed de iis, qui propter peccata luxuriæ innumera, corpore et animo defecerunt.

1) Theol. mor. T. IV. n. 356. — 2) Theol. mor. T. I, n. 575. — 3) Theol. mor. T. I, n. 628. — 4) Pet. Bol. T. VI, p. 540.



CAPUT VI.

De impulsu ad suicidium.



An existit ille impulsus?

Destinguo. Si sit ex inspiratione Dei, uti S. Augustinus dicit de suicidio Samsonis, admitti potest impulsio, et tunc licite potest quis se interimere, quia Deus Dominus est vitæ et mortis. Sed hæc impulsio sane rarissima erit et sese post mortem demonstrabit miraculis, quibus sanctitas talis personæ confirmatur.

Impulsio quæ, permittente Deo, sit a diabolo, mera est gravis tentatio, sed numquam tanta, ut homo cogatur ad actum suicidii, nam S. Paulus merito dicit: „fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.” 1) Ideo Psalmista confitetur: „impulsus eversus sum ut caderem: et Dominus suscepit me.....

1) I, Cor. X, 13.

Dextera Domini fecit virtutem.... Non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini." 1)

Quod autem attinet possessos a dæmone, qui sæpe ad suicidium impelluntur; hi in quantum libertate morali carent, non se occidunt sed a diabolo occiduntur.

Diabolus, permittente Deo, vexare potest justos, uti patet ex historia Job, in tantum quidem ut, sicut ipse Job fatetur: „quam ob rem elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea." 2) Sed non fecit, nec diabolus eum occidendi habuit potestatem, quia Dominus dixerat: „Verumtamen animam ejus serva." — Item angelo satanæ permissum fuit colaphizare S. Paulum, et non miramur, etiam illum heroicum Apostolum ingemuisse: „quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere." 3) Sed an occidere potuit Paulum? An umquam legistis diabolum aliquem justum occidere potuisse? E contra, David testatur: „junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum." 4)

Nullus ex stigmatizatis, quorum plures vexationes diaboli etiam externas sustinuerunt ob amorem Dei, a diabolo suffocari potuit. 5)

Sed aperiendo librum Tobiae legimus: „quoniam (Sara) tradita fuit septem viris, et dæmonium nomine Asmodeus occiderat eos." Et cum Angelus Raphaël Tobiae

1) Ps. CXVII, 13 Seq. — 2) Job. VII, 15, II, 6. — 3) II Cor. XII 7, I, 8. — 4) Ps. XXXVI, 25. — 5) Cfr. Dr. Imbert Goubeyre. La stigmat. T. II. p. 145—165.

Saram proponeret in uxorem sumendam, ille merito objecit: „timeo ne forte et mihi hæc eveniant.” „Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui ita conjugium suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.” 1) Debet ergo dæmonis potestas magna esse hisce temporibus, quia plurimi conjugia ita suscipiunt!

S. Ambrosius narrat: „Cum Symphoriani, urbis præfecti filius, voluptatum flammis totus ardens, scelerata manu Sanctam Agnetem contingeret, cecidit in faciem suam, et præfocatus a diabolo, expiravit.” 2)

Sic etiam Egeas, judex S. Andreæ Apostoli, a diabolo in foro suffocatus est. 3)

* *

Restat ergo impulsio de qua aliqui auctores loquuntur. Hæc autem oritur ex amentia, de qua in Parte prima sermo fuit. Alia impulsio impossibilis est, nisi velim admittere: hominem fato ineluctabili subesse, vel ejus voluntatem ad malum cogi posse; aliis verbis, eum non esse moraliter liberum.

Ideo merito dicit Legoijt: „Si suicidium non est

1) Tobias III. 8, VI, 15—17. — 2) Curs. C. Scr. S. T. XII p. 680.
3) Pet. Bol. T. XIII, p. 688.

effectus delirii vel amentiae, signum infallibile esturbationis moralis. Nequaquam possibile est, individuum, populum vel epocham fataliter impelli ad suicidium." 1)

— Et Dr. Debreyne: „impulsionem insuperabilem et sine delirio in ipso actu admittere non possumus, quia hoc nobis periculosum videtur; destruit enim liberum arbitrium, moralitatem actuum humanorum et favet impunitati criminum." 2) — Idem habet Capellmann: „sine morbosâ mentis dispositione, perturbatio illa et depressio ex huiusmodi causa orta, pro fonte motus (ad suicidium) cui resisti nequeat, haberi non potest. Adjuvante religione, fide in Deum animaeque immortalitatem atque aeternam remunerationem vel poenam, motus iste superari potest et debet." 3)

* * *

Hodie autem fides haec totaliter abest in plurimis eorum, qui de moralitate actuum humanorum atque de eorum imputatione vel scripserunt, vel in congressibus locuti sunt, ac sub nomine Determinismi, sic dictam scholam Italicam formaverunt. Inter illos maxime notari debent post Lombroso, Moleschott, Büchner, Despines, Ferri etc.

Illi omnes crimina considerant tamquam necessarium proventum ex corporis dispositione, ex cerebri defectu,

1) Le Suicide p. 418. — 2) D. Suicide p. 81. — 3) Méd. past. p. 57.

ex circumstantiis societatis, miseriæ; quinimo ex cibo sumpto hominem ad crimina cogi posse, post Feuerbach, dicit Lombroso. 1)

Ecce, dum illi qui se dicunt super omnes alios sapientes, criminosos ab omni peccato absolvunt, ipsi criminosi ante iudices dicunt: „crimen imputari nequit societati, nos ipsi soli culpabiles sumus, quia non satis contra passiones luctati sumus.” Et alius: „crimen non profuit ex corporis dispositione, nam si hoc verum esset, quare cruciatus conscientiae tam terribilis esset?” 2)

Tales confessiones nobis revelant mysterium sic dicti impulsus ad suicidium aliaque crimina.

Grave enim pondus mala conscientia; si impii fidem in Deum nondum amiserunt, pondus præcipitans ad abyssum retineri potest spe veniæ, quando a juventute ipsis notum est: quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. Tunc si de profundis clamant ad Dominum, Dominus exaudiet vocem eorum; tunc cessabit impulsus ille ad suicidium et sustinebit anima eorum in verbo Domini. Nihil autem juvabit consilium quod Feuerbach dedit contra multos qui degenerant in feritatem et crimina, nempe: ut illis darent cibos in quibus phosphorus continetur, præsertim pisa, quia juxta Moleschott intelligentia dependet a phosphoro contento in cerebro. 3)

1) Cfr. Proal, Crime et peine p. 169, 203. — 2) Proal, p. 306. — 3) Cfr. A. Farges, Le cerveau, p. 129.

Merito hic addere possumus verba Proverbiorum quæ circa cibos principis dicunt: „ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.” 1)

Nam Moleschott cum suis minor sollicitudo est de criminosis quam de impia negatione animæ spiritualis et immortalis, quam cum phosphoro commutare vellet; et sic revera in doctrina de cibis est panis mendacii.

* * *

Si autem conscientiae cruciatu agitati, non amplius credunt, vel credentes quidem non amplius sperant, tunc imitantur saepius impium apostolum Judam, qui retulit pecuniam principibus sacerdotum dicens: „peccavi, tradens sanguinem justum.”

Tam naturalis est confessio, ut si coram Deo non faciant, coram hominibus facere conentur, ad pondus criminum sublevandum.

Homicida Ducret seipsum tradidit potestati civili dicens: „ego sum qui homicidium feci; tenete me, sic enim vivere non possum.” Alius qui poenam furti luebat in carcere, etiam homicidium perpetrasse se confessus est, quia: „imago ejus quem occidi me ubique persequitur, requiem nullam amplius habeo, vivo in acerbissimis doloribus, et qualis mihi restat expectatio, nisi mors tamquam terminus dolorum meorum?” 2)

Bonriot narrat aliquem, nomine Georget, condem-

1) Prov. XXIII, 3. — 2) P.oal. O. C. p. 296.

datum fuisse propter homicidium cum circumstantiis diminuentibus. Ipse autem criminosus confessus est, se auctorem fuisse novem criminum, inter quæ erat parricidium. Bonriot ex hoc exemplo non concludit ad impulsionem necessariam criminum, sed: „qui facit malum quod vult, invenit malum quod non vult” (conscientiæ cruciatum.) 1)

Major autem pars post crimina, Judæ imitatores sunt in secunda parte tragœdiæ ejus, nempe in suicidio. Ideo tanta vigilantia in observando criminosos carcere detentos. „Juxta Dr. de Bauvais, medicum carceris (Mazas), suicidium locum habet primis diebus captivitatis, quia accusatus tunc indulget vehementibus conscientiæ tormentis.” 2) Proal addit: „quinimo vidi accusatos etiam ante captivitatem, quum adhuc effugere potuissent, suicidium patrantes vel tentantes... Et hi casus tam certo adscribi debent malæ conscientiæ, ut ipsi Despine et Ferri negare non possint.” Idem dicit Dr. Brière: „Cruciatus malæ conscientiæ frequenter causa sunt suicidii.” 3)

* * *

Hodie autem multi fidem non habentes, stricto sensu desperare non possunt; numquam enim spem veram habuerunt, ergo amittere eam nequeunt.

Propter philosophiam modernam, cujus impietas etiam

1) Le problème du mal p. 172. — 2) Ap Proal O. C. p. 300. —
3) Du Suicide, p. 162.

populum seduxit, multi nascuntur ex parentibus, qui tamquam animalia viventes, etiam liberos tamquam animalia educant. Hi de Deo numquam audiverunt; legem omnem semper tamquam vinculum iniquum consideraverunt; vocem legislatoris interni et naturalis, i. e. conscientiae, a prima juventute auribus quidem perceperunt, sed factis contra naturam ad silentium redigere conati sunt. — De Romanis dixit S. Paulus: „obscuratum est insipiens cor eorum” 1); plus dicere oportet hodie quia gentibus peiores sunt. Ideo auctor aliquis de cordibus multorum, qui philosophia moderna corrupti sunt dixit: cor eorum putridum est.

Ad Israël olim Jeremias clamavit: „noluisti erubescere” 2); criminosi moderni non amplius possunt erubescere. Si enim homines feri Africae, qui tamen adhuc homines esse volunt, erubescere, lacrymare vix valent; quomodo illi, qui minus esse volunt quam animalia, erubescerent vel lacrymarent? Ideo non mirandum quando legimus in opere: *Souvenirs de la [Roquette par l'abbé Faure, homicidas hujus ultimi temporis, 3)* et in diariis, anarchistas capite damnatos, imperturbata quiete frui, ante mortem chartis ludere, bene edere ac dormire quasi innocentes. Quid enim fecerunt? In opere citato legimus: sacerdotem Faure captivum quemdam interrogasse: quale crimen patrasti? Et ille: de-

1) Rom, I, 21. — 2) Jer. III, 3. — 3) Cfr. Praesertim quae narrat de Prado et G. Kaps, p. 177 et 241.

lictum venationis — Quid ergo occidisti? — Custodem, Domine; nam animal illud per duos annos molestum mihi fuerat. Unum tantum aegre fero; pater meus tamquam socius, in carcere laqueo se suspendit. 1)

Georges Kaps, qui duos homines occidit, et duos alios occidere voluit, capite damnatus, immediate ante executionem sacerdoti Faure, qui eum ad pœnitentiam adhortabatur, dixit: „nihil feci cujus pœnitet me; a nulla persona veniam petere habeo.”

Mirum ergo non est, illos homines nullo cruciatu conscientiae angi; volunt esse animalia sicut in scholis didicerunt; jam vero animalia si aliud animal occiderunt pœnitentiam ignorant.

Mirum non est tales homines non desperare; furores in corde gerunt, et hi sunt qui, quando occasio adest, eos ad suicidium ducunt. Quid enim timerent? Saltu mortali descendunt ad nihilum vel juxta Flammarion ascendunt ad astra! Noli autem tantæ feritatis et suicidii quod sequitur causam quærere in impulsione necessaria, sed in corruptione voluntaria.



1) O. C. p. 68.

PARS III.

**De remediis pro illis qui inclinationem
sentiunt ad suicidium.**







CAPUT I.

Remedia materialia.



Pomnes auctores conveniunt, diaria publicantia suicidia cum omnibus circumstantiis, causam remotam esse imitationis pro iis qui tædio vitæ et tentatione ad suicidium laborantes fidem in Deum amiserunt. Et numerus eorum hodie magnus est. Ideo, quia non publicare suicidium, practice impossibile est, præsertim quando suicidæ omnibus personæ notæ sunt, saltem studeant scandalum diminuere, improbando omni modo possibili factum suicidii.

Ecclesia Catholica, quando post maturum examen facti, nullum amplius dubium formare potest de amentia suicidæ, pœnam infligit, nempe: privationem sepulturæ ecclesiasticæ, nisi ante mortem signum pœnitentiæ dederunt.

Mirum est, quod aliqui auctores, qui de suicidio tractant, inutile reputent, si lex civilis hac in re, sicut in medio ævo, Ecclesiam sequeretur.

Omnes enim concedunt, suicidia in medio ævo rariora fuisse; tunc autem lex civilis ecclesiasticæ legi conformis fuit.

Obijciunt: quomodo suicidæ, qui Deum et pœnas æternas contemnunt, moveri poterunt lege et pœna civili? — Ast multi magis moventur pœnis præsentibus quam futuris.

Dicunt: pœnæ illæ publicæ ad imitationem incitare poterunt eos qui jam inclinatos se sentiunt ad suicidium. — Sed suicidia, quæ ab omnibus diariis annuntiantur, pro quibus libri romanenses conficiuntur, quæ in theatris laudantur, an secreta manent?

Dicunt, ad objectionem eorum, qui pœnas civiles desiderant, quod suicidæ, quamvis pro semetipsis pœnam non curarent, eas tamen pro familia sua timerent — quod pro familia a proposito non desisterent; quod pœna injusta esset, quia non reum sed familiam attingeret; vel non reum, quia multi amentes sunt.

Sed ex opere citato Faure patet, capite damnatos eum rogasse ne corpora eorum post mortem medicis disseccanda traderentur; ergo apud eos horror existebat pro aliqua re quæ post mortem sequeretur.

Non omnes suicidæ familiam contemnunt, sed quod etiam curam familiæ habeant, patet ex eo, quod inveniantur qui suicidium perpetrant, quia eorum vita familia dehonouratur, vel quia fortuna contraria paupertatem familiæ prævident. Si autem familia morte eorum adhuc

gravius dehonoreretur poena civili, an hoc nullum pondus haberet in praemeditatione suicidii?

Dein, quod ultimum attinet, tunc etiam nullum crimen publica detestatione etc. puniri posset, si reum non afficeret, v. g. si fugam cepisset ad locum inaccessibilem.

Multi amentes sunt in actu suicidii. Hoc etiam scit Ecclesia et ideo cum omni prudentia iudicium fert. An etiam iudices civiles talem distinctionem facere non possent? Multi amentes sunt, sed nequaquam omnes. An etiam, quia tam facile suicidae amentes reputantur, hoc ipsum aliquibus non esset causa remota semetipsos occidendi?

Ideo cum Dr. Belouine dicendum videtur: „Existimamus, quod legislatores, qui memoriam suicidarum macularent, rem justam et utilem facerent... Multi desisterent a suicidio, si de hoc certi essent.” 1)

Et merito A. Chaveau et Faustinus Hélie putaverunt: „solam inscriptionem suicidii tamquam delictum in lege poenali, jam esse bonam admonitionem.” 2)

Quamvis aliqui poenam civilem inutilem reputent, omnes tamen vellent poenas contra causas proximas suicidii v. g. contra ludos aleatorios et praesertim contra eos qui se vel alios inebriant.

1) Les passions T. II p. 366. — 2) Apud. Legoyt O. C. p. 446.

Bene dixit Gladstone: „liquor inebriativus hodie plures morti tradit, quam plagæ de quibus in historia sermo est: fames, pestis et bellum.” 1)



1) In. Bulletin de la soc. de med. ment de Belg. Mars 1892 p. 80.



CAPUT II.

De remediis Supernaturalibus.



ART. I.

BASIS AMORIS.

Cum S. Augustino ¹⁾ et Bossuet ²⁾ amorem merito fontem omnium passionum vocare possumus.

„Amor meus pondus meum; quocumque feror amore sicut feror” dicit magnus Augustinus. Si ergo quis amat avaritiam, libidinem etc., pondus ejus pecunia est, pondus ejus libido est.

Sæpius hunc amorem perversum idololatriam vocant, S. Paulus: „libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus;” ³⁾ quia passio ad quam amore anima fertur, idolum ejus ac pondus ejus fit.

¹⁾ Conf. I. XIII, C. X. — ²⁾ De la Conn. de Dieu p. 88. —
³⁾ Ad Colos. III, 5.

Hisce præmissis, oculis vestris subjicio locum S. Scripturæ ex Isaia. 1)

Propheta Judæis ostendit idola Bel et Nabo imposita jumentis, quæ pondus eorum ferre non valuerunt, sub pondere animam efflaverunt, et simul in eorum lapsu idola confracta sunt. 2)

Si amor hominis pecunia est, argentum et aurum pondus ejus erunt; idolum auri portabit sicut jumentum, incurvabitur sub onere, nam auri fames insatiabilis continuo clamat: affer, affer; quia autem justitia nimis tarde affert, ideo injustitia et fraus advocantur; tunc autem mox sub onere corruunt, vel cessione fori, vel fraude detecta incarceratione et impletur quod dicit Isaias: „non potuerunt (idola) salvare portantem et anima eorum in captivitatem ibit.” O quam infelices sunt qui corruerunt sub idolo auri; quam sæpe voluntarie animam efflant!

Amor hominis ad beatitudinem, sive in avaritia, sive in libidine vel alia passione, tantum pondus est continuo aggravescens, ut nulla creatura in hac terra illud ferre possit. Nulla excogitari potest basis satis fortis ad ferendum illud onus amoris.

Sæpe amor impurus, forma corporum seductus, se

1) Is. XLVI. 1-4. — 2) Talis videtur esse sensus v. 1 et 2, juxta Curs. C. S. S. T. XVIII. p. 1390. Haec sententia confirmatur ex Vigouroux. Les Livres Saints T. III, p. 144, 148, Figura n. 145 et 146. In prima conspicimus processionem idolorum jumentis impositorum. In secunda idola hominibus imposita sunt.

constringit alii amoris, sed unus et alter corruunt et non raro duplici suicidio.

Si amor ambitio est, totus orbis terrarum non sufficiet ad illud idolum portandum. Nonne Juvenalis de Alexandro Magno dixit:

Unus Pellaeo juveni non sufficit orbis,
Aestuat infelix angusto in limine mundi.

Quantum pondus ambitio fuit Napoleoni, qui secum venenum habebat ad suicidium perpetrandum!

Ad omnes illos qui gemunt sub onere amoris, quod omni basi jam imponere voluerunt, sed quod nulla hucusque portavit, — et ideo tristes ac tædio repleti vitæ finem imponere cogitant, cum Isaia in nomine Dei dicere possumus: „Audite Me, domus Jacob..... Ego feci, et Ego feram; Ego portabo et salvabo.” 1) Nam Deus creavit hominem ad se et irrequietus erit donec requiescat in Deo.

Vere irrequietum est cor incredulorum et sentientes fragilitatem creaturarum, deum aliquem fingunt in quo respirare possint. Ideo Littré caput scholæ Positivistarum, ac post eum Renan, Taine, etc. humanitatem ipsam deum proclamaverunt.

Merito autem dicit Desorges: „miserrimus deus! Nam deus ille repletus est infirmitate, erroribus et miseriis omnigenis; deus ille sæpe febris accessionem sentit.....

1) Isaías XLVI, 3. 4.

Sæpe committit crimina..... sæpe ferus, barbarus vel imbecilis est." 1)

Alii, quia humanitatem solam nimis infirmam reputant ad sustentandum amorem hominis, deum universalem fingunt ex doctrina Pantheistica. An ergo si humanitati addunt animalia, plantas, omnemque materiam basem satis firmam animæ posuerunt? Nequaquam, nam multi super hanc basem stantes, cum Alfred Musset exclamare coguntur: „invitus sentio infinitatis tormentum."

Ideo hoc tempore Flammarion novam invenit religionem, nempe: theismum ontologicum, in qua anima vivet vita Uranica (vie Uranique), transmigrans inter stellæ et planetas; — juxta Figuier stabit aliquando in sole, juxta Flammarion de novo incarnatur. 2)

Sed eheu! anima major est quam stellæ; pondus amoris gravius est quam quod planeta illud portare possit. Nonne poeta incredulus Leopardi exclamavit: „quando consideramus spatium immensum, numerum infinitum et vastitatem mundorum et adhuc experimur omnia illa exigua et angusta esse capacitati animæ; quando semper accusamus imperfectionem vanitatemque rerum; quando sentimus inquietudinem, vacuum et tædium, nonne signum est magnitudinis et nobilitatis animæ?" 3)

1) Les erreurs mod. p. 512. — 2) Cfr. Ortolan. Astron et Théol. p. 338-340. — 3) Mgr. Baunard, Le doute et ses victimes p. 364.

Et G. Sand: „tædium nos devorat, passiones nos agitant et suicidium, daemon ille tenebrarum, vigilat ad lectulum nostrum, vel vespere nos trahit ad ripas fluminum. Non amplius habemus fundamentum solidum, ad jacendum anchoram voluntatis nostræ.” 1)

Gerard de Nerval de basi in basem amoris pondus posuerat, ita quidem ut se nominaret: infantem fortunæ (enfant du hasard). Ecce, adhuc juvenis suicida inventus est, pendens in platea aliqua Parisiensi. 2)

* * *

Maine de Biran, postquam longo tempore quæsiverat animam suam ponere in basi rationalismi, materialismi, etc. demum ad Deum venit.

Tunc dixit: „dogmata religionis et lex moralis, pro ratione bases sunt et puncta necessaria unde egredi possit.... Vera sapientia et fortitudo in eo consistunt, ut semper ambulemus coram Deo et sentiamus quod Ille nos sustentet.” 3)

Roijer-Collard post incredulitatem conversus ad fidem, in lectulo mortis ad nepotem suum dixit: „Christianus sis, sed hoc non sufficit; ergo Catholicus sis. Nihil solidum est in mundo præter principia religionis; numquam deseras illa.” 4)

1) Mgr. Baunard, O. C. p. 421. — 2) Ibid. p. 436. — 3) Desorges: Les erreurs mod. p. 6. — 4) Huguet. Cel. Conv. Cont. p. 440.

O si infelices, quibus tellus vacillat sub pedibus Epistolam S. Pauli ad Hebraeos legerent!

Jam in primo capite invenirent Illum, Qui potest portare onus amoris, nam S. Paulus ibi describit Christum „portantem omnia verbo virtutis Suæ.” Idem Apostolus illis diceret, quod dixit ad Corinthios: „fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.” 1)

Si ergo a Positivistis audiverunt de fundamento humanitatis, sciant existere fundamentum hoc, non autem sicut volunt Littré et Renan, sed sicut voluit Ille „Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, et tamen Semetipsum vocat Filium hominis.” 2)

Si in libris Flammarionis legunt de fundamento stellarum, sciant existere fundamentum stellæ, nempe: Jesus Christus, Qui dicit in Apocalypsi: „Ego sum stella splendida et matutina.” 3)

Ecce Christus invitat omnes qui laborant et onerati sunt: „Omnis qui venit ad Me, et audit sermones Meos et facit eos: ostendam vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi et non potuit eam movere: fundata enim erat supra petram.” 4)

1) I Cor. III, 11. — 2) Phil. II, 6 et Matth. VIII, 20. — 3) Apoc. XXII, 16. — 4) Luc. VI, 48. 49.

ART. II.

CENTRUM ANIMARUM.

In Epistola ad Romanos S. Paulus dicit: „invisibilia (Dei) a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque Ejus virtus et divinitas.” 1)

Mundus divinitatis est liber ac speculum divinorum in quo Se Deus expressit. Quando oculos elevamus ad cœlos, et scientia astronomica instructi, omnes planetas circa solem volvi perspicimus, solem ipsum vero moveri et volvi circa alium solem, omnesque alios soles, quorum numerus indefinitus est, probabiliter moveri circa solem centralem; -- quando insuper legem cognoscimus, juxta quam motus stellarum ordinatur, nempe: legem gravitatis, qua omne corpus aliud corpus attrahit eo fortius quo pondus majus est, non autem in unum coalescunt, propter vim centrifugalem; 2) — Quantopere hæc unitas visibilis, hæc attractio visibilis, invisibile centrum ac invisibilem attractionem denotant Illius Qui dixit: „Ego sum lux mundi.” — „Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad Meipsum.” 3)

Quare autem omnia trahit ad Se? Quia amor Ejus

1) Ad Rom. I. 20. — 2) Cf. Brinkman. De Sterrenwereld, p. 340 et 410. — 3) Joës. VIII, 12 et XII, 32.

infinito modo omnem amorem superat, sicut dicit apud Jeremiam : „in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans." 1)

* * *

„Lex regit mundum mundum animarum, similis legi attractionis quæ orbes coelestes in gyrum movet; lex illa est lex charitatis, qua animæ spiritali modo attrahuntur. Ast attractio pondus est, dicit scientia; amor etiam pondus est, respondet philosophia christiana; est pondus unius animæ ad aliam, est pondus animarum ad Deum, estque principium gravitationis spiritalis, sicut dixit Augustinus: amor meus, pondus meum. Totus mundus moralis hac magna lege regitur, nempe: amore infinito Dei effundente se super homines, et ex illis ascendente ad Illum, ligante Illi eos, qui voluerunt ligari vinculis divinæ attractionis. Incomparabiliter fortior attractione siderum, infinite suavior est. Agens non in corpora inertia, sicut sidera, sed in voluntates liberas, non attrahit nisi eas, quæ volunt sese legibus ejus submittere." Ita Ortolan. 2)

* * *

Nonne Deus, apud Osee, dicit: „in vinculis Adam traham eos, in vinculis charitatis." 3) — Infelices autem omnes quibus convicium Moysis ad Judaeos applicabile est: „incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassa-

1) Jerem. XXXI, 3. — 2) Astron. et théol. p. 425. — 3) Osee XI, 4.

tus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo." 1)

Ex astronomia cognoscimus existentiam cometarum, de quibus dicit Ortolan: „quantas mutationes eorum amplitudo subit! Similes immensis bullis aeris admodum dilatatis, quamvis pondus earum vix aliquot grammata excedat, omnibus attractionibus subsunt. Sæpe earum amplitudo et fulgor diminuuntur sicut scintillæ morientes, et dividuntur sicut nubes luminosæ, ventis agitæ." 2)

Si jam aperimus S. Scripturas ac Apostoli Judæ epistolam perlegimus, inveniemus comparisonem inter has cometas et incredulos: „Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt..... Sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum."



Aliquatenus intelligere possumus ingentes animi dolores quos subeunt illi, qui recesserunt a Deo, sive incredulitate, sive desperatione.

Ipsa Veritas, Jesus Christus, in terra docens, poenas gehennæ vocat: „tenebras exteriores", et ultimam Judicis sententiam erga condemnatos describit, per hæc verba: „discedite a Me." — Solvitur ergo attractio

1) Deutr. XXXII, 65. — 2) O. C. p. 220,

divina, et anima soluta Centrum suum fugiens, ibit in tenebras exteriores.

Sapiens in ore eorum, quos Deus misit in tenebras illas, ponit: „erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.” 1) Sed pro ipsis tempus non erit amplius; numquam poterunt redire ad sphæram attractionis divinæ; sidera extincta sunt.

* * *

Commiserationem ipsis inutilem transferamus ad illos multos, qui in sæculo nostro, præsertim ultimis temporibus, voluerunt sole scientiæ attrahi et illuminari, nam cum dolore exclamant: „erravimus.... sol intelligentiæ non est ortus nobis.”

Revera sidera errantia sunt; passionibus agitati centrum fugiunt, et variis systematibus attracti, lassati sunt.

Melchior de Vogüé dicit: „hodie animæ nullius sunt; currunt sine duce, extra viam, in frigore, in tenebris et tumultu, sicut hirudines, quæ in tempestate radunt paludem.” 2)

Hodie multi in doloribus ac vitæ tædio respiciunt ad sepulchrum, quia in materialismo didicerunt, illud esse finem omnium rerum. Sed ecce, ipsa scientia, in qua confisi fuerunt, derelinquit eos, et religioni manum tradere incipit, dicente Ernest Lavisse: „Sæculum nostrum

1) Sap. V, 6. — 2) Apud Mgr. Baunard, L'Espérance, p. 143.

finit interrogando.... spiritus maxime differentes omnem attentionem dant religioni." 1)

Si scientia decepti interrogant, studeamus respondere illis praesertim auctoritate scientiae verae, ut quos falsa scientia a centro divino abduxit, vera iterum in sphæram attractionis divinae reducat.



Interrogaverant scientiam circa vitae originem et usque nunc responderat: „vitam esse proprietatem materiae, quae sua sponte organisatur et vivens fit, circumstantiis faventibus." 2) Et scientia hoc probabat ex generatione spontanea, quae si existit pro animalibus imperfectis, etiam pro animali perfecto i. e. homine, existere debet.

Et nunc omnes currunt post clarissimum Pasteur qui probavit non existere generationem spontaneam, sed omnem vitam a principio vivente procedere! Et apologetae religionis inde argumentum faciunt, ut sic probent esse Deum, tamquam vitae primum principium. Ac ipse celeberrimus Pasteur in plena Academia gloriatur: illum Deum viventem adorandum esse. 3) — Cum Voltaire negaverunt Christum; cum Renan Illum blasphemaverunt; et nunc iterum scientia currit ad Evangelium, quod prius negaverunt, ad Evangelium quod, ante om-

1) Ibid. p. 146. — 2) Desorges O. C. p. 640. — 3) Mgr. Baunard O. C. p. 31.

nem scientiae inventionem, semper dixit: „In principio erat Verbum.... Omnia per Ipsum facta sunt.... In Ipsa vita erat, et vita erat lux hominum.” — Illuminatum saeculum XIX tenebris obvolvitur — „Et lux in tenebris lucet.” 1)

Passionibus indulserant, quia scientia dixerat: vitam nullius ponderis esse, et quando fastidit vivere, deponi sine scrupulo posse. Et nunc scientia agnoscit principium vivens vitae, et quidem Christum Quem cum Renan blasphemaverunt! — Ergo: „erravimus!”

* *

Usque nunc cogitaverant, approbantibus passionibus, se esse animalia transformata et evoluta; apud G. Sand (Indiana) legerant: „homines in eo tantum animalibus superiores esse, quod intelligere possint, in quo situm sit remedium omnium malorum, nempe: in suicidio.” — Vixerunt ideo tamquam bestiae, animo praeparantes remedium suicidii, quando corpus excessum passionum non amplius ferre posset. Et nunc eadem scientia in persona professoris increduli Virchow, in pleno congressu Moschae anno 1892, evolutionismum puram hypothesem vocat et contra scientiam esse dicit. 2) Et nunc jam quaerunt extra materiam, quis spiritum hominis formaverit? — Ergo: „erravimus!”

* *

1) Joës. I. — 2) Cfr. Ephem. Science Cath. IX. p. 99.

Olim dicebant Scripturam Sacram et quam refert creationem hominis ad imaginem Dei, fabulam esse ac mendacium. — Nunc iterum, ex ultimis inventionibus, celebrant ejus veracitatem, ita ut rationalista Thoulet, dicere audeat : „Vetus Testamentum loquitur tam exacte, tam accurate, quasi esset opus geologiae modernae.” 1)

O si verum esset, se non esse bestias, sed creatos ad imaginem Dei, jam hoc sufficit, ita cogitant, ut molestia creetur pravis passionibus — sed eheu, urget bona scientia, dicens : si Scriptura Sacra in una parte vera est, in tota est, quia Veritatem habet Auctorem, sicut dixit ipse Strauss : „omnia vel nihil.” 2)

Jam vero Scriptura loquitur non tantum de Creatore, sed de Providentia Dei, de Redemptore hominis lapsi in peccatum. Ergo : „erravimus!”

* *

Anxie petunt : an ergo existit peccatum ? Lombroso Büchner et alii docuerunt eos : hominem non esse liberum, sed eandem legem quae regit plantas et animalia, etiam regere homines. Et nunc celeberrimus Brunetière incredulus, qui cum maxima reverentia visitavit Papam Leonem XIII, post visitationem hanc, publice condemnat Determinismum. 3) Ergo : „erravimus!”

* *

1) Introduction à la géograph. physique. — 2) Vigouroux. La Bible et les Déc. T. I. p. 108. — 3) Cfr. Le Monde, 4 jan. 1895.

Peccatum si existit, certe externum tantum sive crimen contra societatem intelligunt, nam an etiam peccatum internum admittendum esset, sive: „si sit scientia in Excelso?“ 1) Ecce, juxta astronomiam tota terra, comparata ad omnes stellas, tam exigua est, ut si annihilaretur, ejus absentia tam parum animadvertaretur, ac folium ex arbore cadens. — Quid ergo magnus ille Deus curaret peccatum unius hominis; quid Excelsus ille curam gereret rerum humanarum?

Quomodo credibile est, peccata hominum tantum offendisse Altissimum, ut ad redimenda illa, Filius Dei, homo factus, in cruce mortuus fuerit?

Ast scientiam Excelsi timuit Littré, incredulus positivista, qui in ultimo anno vitæ suæ credidit iu providentiam Dei et agnovit Jesum Christum Redemptorem. 2)

Et Taine, qui providentiam negat, qui libertatem hominis rejicit, quanta cum contradictione celebrat Ecclesiam Christi, quæ sola potest hominem retinere, ne in abyssum eat. Admirans laudat virtutes heroicas Ecclesiæ et indicat fontem omnis illius virtutis, Jesum Christum. 3) Manet quidem incredulus, sed hæc verba multos alios scientiæ amatores ad portas Ecclesiæ Christi adduxerunt, admirantes leges ejus morales, dogmata ejus timentes.

Sed conclusio obvia est: si Ecclesia Christi sola est

1) Ps. LXXII. 11. — 2) Cfr. Univ. Cath. T. VIII. p. 541. —

3) Ibid. p. 558.

quæ potest homines beatos facere, societatemque salvare; tunc illa sola vera est. — Si sola vera est, hoc non tantum est in re morali, sed et in omni dogmate, quia moralitas non subsistit sine dogmate. Ecclesia autem illa docet: scientiam Excelsi; docet Redemptorem; exaltat crucem Domini.

O Crux Christi, solamen credentibus, tu es quæ animabus infelicibus sed superbis stultitia appares et scandalum. Te timet illa multitudo tristes, quæ, scientia duce, ad limina stat Ecclesiæ. Illa multitudo melancholica, quæ vitæ tædio repleta, juxta incredulum La-visse, laborat „nostalgia divina.” 1)

O crux Christi, tu es sol centralis, qui lumine tuo illuminas omnem hominem, et calore tuo illum refocillas. Timent increduli, ne accedentes ad te scientiæ valedicere debeant, nescientes in te scientiam a Deo esse; in te absconditum esse thesaurum omnis scientiæ et sapientiæ. — Timent, quasi Dies iræ jam illuxisset, ne condemnationem subeant. O si cognoscerent te, „quia Mariam (Magdalenam magnam peccatricem) absolvisi et latronem exaudisti, (illis) quoque spem dedisti.”



„Joubert, magnum ingenium et auctor exquisitus, aliquando vexabatur ambitione: ponendi totum librum

1) Mgr. Baunard, O. C. p. 148.

in una pagina, unam paginam in una phrasi, et hanc phrasim in uno verbo.

Hoc problema solutum est; quod lingua humana non potuit, miro modo fecit Christianismus: Biblia, Evangelium, revelatio, mysterium consilii divini et destinationis humanæ, summa fidei, metaphysicæ et scientiæ; hæc omnia sunt in uno verbo: „Crux.” 1)

„Quando oculus humanus respicit ad cœlum stellatum, mox attingit distantias vix numerabiles; spiritus autem humanus statim transgreditur et sese in immensitatem projicit. Oculus detegit ultimum punctum luminosum et ad hunc limitem retinetur; spiritus autem scire vult, quid ultra existat, et in quærendo ultra impatiens fit.... Oculus spatium, spiritus infinitum contempletur; hinc luctamem, dolor et vertigo.

Si autem aspectus revertitur super Crucifixum, statim omne luctamen cessat, omnisque dolor fugit. Tu ad Infinitum venire non poteras, ideo Infinitus venit ad te; incarnatus est, ut oculus facile Eum aspicere, et spiritus satiari posset; pro uno et altero Crucifixus plenum lumen et requies est.

Quanto magis in spatium penetras, distantias metiris et quo plures mundos detegis, eo magis vides quam parvus ipse sis; tu enim atomus es super terram, quæ te portat, et ipsa terra non nisi atomus est in universi-

1) Duilhé de Saint-Projet. *Apologie Scientif.* p. 540.

tate. — Sed quanto magis penetras in mysterium, quod Deum conjungit homini et hominem Deo, mysterium nempe crucis; eo magis sentis te magnum esse. Putabas te esse atomum et ecce, anima es redempta sanguine divino; putabas te nihilo proximum, et ecce frater, filius, hæres es Dei! — Omnes illi orbes fulgentes, quæ supra me moventur, ante me fuerunt, et erunt fortasse post me, sed finem habebunt; scientia sicut fides affirmat. Existunt enim soles extincti et planetæ frigefactatæ.... Spectaculum vitæ, motus, luminis, omnia illa denotant mihi fragilitatem et mortem. — Ast imago Crucifixi, vulnerati, sanguine conspersi, morientis, denotat mihi: resurrectionem, glorificationem et immortalitatem." Ita Duilhé. 1)

* *

Ast dicet scientia: oculus tuus, non est oculus meus, nec requiescit super Crucifixum.

Ecce ego penetraui cœlos, leges stellarum fixi; penetraui terram et profunditatem ejus aperui, omnesque ejus revolutiones descripsi; plantarum et animalium species ordinavi; Deum quæsivi et non inveni. Solam harmoniam inveni, quæ nullam vocem habere videtur, nisi ad exprobandum mihi perturbationem, quæ regnat in me. Volui scire, cur ego, qui primus sum inter animalia, plus patior quam illa; tædet me vitæ meæ,

1) O. C. p. 536—538.

cujus nec originem, nec finem cognosco. Melancholia mea suadet mihi, vitæ miserrimæ finem imponere, et tu, ut ab hoc proposito me avertas, promittis mihi Dei ostentationem, et demonstras mihi: Crucem, „lignum rigidum transversum lignum rigidum” 1), et super hoc lignum: Crucifixum lividum! An ergo in immenso vulnere animae meae hominem ponere vis, et talem hominem? Si novum Adamum perfectum; si Alexandrum vel Napoleonem proponeres, in quibus anima mea fiduciam haberet, sed Crucifixum! Si vestigia Dei ex investigationibus scientiae describere deberem, immensitatem ac majestatem indicarem, et jam ostendis mihi adorandum crucifixum!

* * *

Et scientia nescit Adamum ex paradiso mortem nobis attulisse; oblita est, Alexandrum et Napoleonem juvenes innumerabiles in expeditionibus ambitiosis, non ad beatitudinem, sed ad mortem duxisse; ecce illi sanguinem hominum biberunt ad extinguendum sitim ambitionis suae, sed nullam medicinam animae hominibus dederunt.

Crucifixus autem omnem Suum sanguinem effudit, ad sanandum vulnus ambitionis nostrae! Scientia vestigia divinae majestatis in rebus creatis quaereret, sed ignoravit: „quoniam Deus charitas est. In hoc est charitas.... quoniam.... misit Filium Suum propitiationem pro pec-

1) Goethe et Strauss apud Duilhé O. C. p. 525.

catis nostris." 1) Sed ad charitatem Dei videndam, alio oculo opus est, non naturali, nec rationis, sed fidei: „qua intelligimus aptata esse saecula verbo Dei...." (qua aspiciamus) „in auctorem fidei et consummatorem Jesum, Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet." 2)

Hoc oculo crucem aspiciens, non solum mortuum conspicio, sed etiam Victorem mortis, etiam Vitam et Resurrectionem.



Multi infelices in melancholia sua dicunt cum Maxime du Camp: „qui credunt beati sunt; invideo illis in hac felicitate." 3) Ast, si tantopere desiderant habere fidem, cur non quaerunt? — Sed ubi est, dicunt, et quomodo acquirenda? Omnes scientias interrogavimus et nullum responsum accepimus — philosophos adivimus et illi, nequidem verbum „fides" intelligentes, dixerunt: quid ad nos!

Si vero unum „Pater noster" ex corde sincero ad coelum emitterent, responsum acciperent ab Eo Qui dixit: „petite et dabitur vobis: quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis.... Si vos cum sitis mali, notis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de coela dabit spiritum bonum petentibus Se." 4)

1) I Joës. IV, 8, 10. — 2) Ad Hebr. XI, XII — 3) Apud Duilhé O. C. p. 515. — 4) Luc. XI, 9, 13.

Per hunc spiritum bonum illuminati ac sapientia or-
nati intelligent, se scientiam maximam non ex consiliis
hominum acquirere posse, sed sicut dixit S. Jacobus,
„a Deo, Qui dat omnibus affluenter.... a Patre luminum,
apud Quem non est transmutatio, nec vicissitudinis
obumbratio.” 1)

Per hunc spiritum timebunt Dominum, sed in pietate,
ita ut omne tædium vitæ inordinatum, ac omnis cogi-
tatio suicidii vera fortitudine fugetur.

Per hunc spiritum, plus quam antea, videbunt vilita-
tem suam; hæc autem cognitio nullam desperationem,
sed veram humilitatem ingeret.

Per hunc spiritum ad crucem Christi adducentur, et
dicent: „qui Mariam absolvisti, et latronem exaudisti,
mihi quoque spem dedisti.” — Et intelligent veritatem
cantici Ecclesiæ: „O crux, ave spes unica.”

* * *

Mgr. Baunard, ultimam paginam operis sui: *l'Espé-
rance*, scribens in die Resurrectionis Domini, recorda-
batur scenæ pœmatis doctoris Faust.

Ille homo scientiam liberam et impiam profitens, sed
jam laborans fastidio scientiæ et mundi, quia animam
suam replere non potuerunt, die Paschatis in despera-
tione venenum arripit et jam in eo est ut hauriat.

1. Jac. I, 5.

Eodem autem momento audit chorum canentium :
Alleluia ! Christus surrexit !

Faust auscultat et animo perturbato exclamat : „O cantica cœlestia, o chori dulces, ut quid quæritis me in pulvere jacentem. Audio quidem nuntium quod defertis, sed ego fidem non habeo ad credendum. Et tamen per cantica illa, quæ in juventute mea gaudio me replebant, sentio me ad vitam revocatum.”

Jam vero, si Resurrectio Domini incredulum Faustum retinuit, ita ut venenum quod sumere volebat, rejiceret; quantopere illum qui adhuc credit, ab omni desperatione liberabit !



In nocte sabbathi sancti, postquam extra ecclesiam e silice novus ignis excussus est atque benedictus, incipit processio ad altare. Crux præcedit, sequuntur cantores, clerus, diaconus portans arundinem cum tribus candelis, dein celebrans.

Cum diaconus ingressus est ecclesiam, accendit ad novum ignem unam ex tribus candelis; omnes genuflectunt; diaconus cantat : Lumen Christi; — mox una voce omnes respondent cantantes : Deo gratias !

Surgunt dein omnes et processio procedit ad medium ecclesiæ. Ibi secunda vice omnes genuflectunt; diaconus secundam candelam accedens, altius quam prima vice cantat : Lumen Christi; — omnesque iterum respondent cantantes : Deo gratias !

Sed ecce, jam usque ad altaris gradus progressi sunt, ubi tertia candela accenditur; omnes genuflectunt; diaconus altius adhuc cantat: Lumen Christi; — omnis nunc multitudo cum summa lætitia cantans respondet: Deo gratias!

Certum est in paganismo mortem regnasse, etiam eo sensu, ut suicidium frequentissimum fuerit. Sed in hac nocte paganismi, Christus e sepulchro resurgens, tamquam novus ignis e silice, micat. Ecclesia procedens ad sæcula futura, postquam per subterranea loca iter suum fecerat, ignem a Christo assumptum ac tamdiu in catacumbis absconditum, publice sub Constantino Magno mundo ostendit; et postquam Crux luminosa in cœlo præcessit, cantavit alta voce: Lumen Christi. — Ecce, genuflexerunt paganismus et barbarismus, et, — sicut olim gladiatores ante Cæsarem inclinantes dicebant: Caesar, morituri te salutant, — nunc ad Christum clamant: Christe morituri Te salutant, tamquam Vitam et Resurrectionem!

Historia nobis testis est, suicidium, ostenso lumine Christi, cessasse apud gentes, quæ in hoc lumine vixerunt. Principia paganismi autem, post sic dictam Renascentiam litterarum, iterum tamquam nubes lumen Christi offuscaverunt, præsertim postquam ex Renascentia natus est Protestantismus. Hic enim in lumine privato prædestinationem inveniens, præ tædio vitæ et melancholia, non amplius vidit Lumen Christi, præser-

tim postquam ex principiis ejus evoluta Revolutio, vitæ contemptum legibus sanguineis proclamavit. 1)

Jam secunda vice in hac nocte Ecclesia, intonante sene Leone, cantat: Lumen Christi. — Et non tantum in Europa, sed ex omni orbis parte responsum accipimus: Deo gratias!

Protestantismus et schisma desperantes; Socialismus vita fessus; Scientia, quæ omni sua inventione certitudinem mortis, incertitudinem vitæ et destinationis contestatur, a sepulchris quæ foderunt, juxta quæ mœrentes sedent, respiciunt iterum ad Christum, Vitam et Resurrectionem. 2)

Ille Qui dixit: „cælum et terra transibunt, verba autem Mea non transibunt”, prænuntiavit tempora ultima, in quibus maxima obscuritas regnabit, deficiente fide, abundante iniquitate.

Jam vero, si nostris jam temporibus, defectus fidei, testimonio ét medicorum, ét moralistarum causa proxima est tædii vitæ et suicidii; quid quæso erit, in ultimis temporibus? An pressuram illam magnam sustinebunt sine fide?

In hac autem nocte Ecclesia progredietur ad altare

1) Dr. Cazeauvieilh (apud Legoijt. O. C. p. 74) dicit: „causa proxima inclinationis ad suicidium, videtur principaliter residere in idea regnante hujus saeculi: in spiritu libertatis religiosæ, moralis et materialis, qui inebriat omnes.” — 2) Cfr. Legoijt. O. C. Testimonia medicorum, dicentium: religionem unicum remedium efficax esse contra suicidium p. 411—416.

æternitatis, et altius cantans quam sonitus maris et fluctuum intonabit: Lumen Christi. Et omnes qui Eum confessi sunt in terra cum exultatione cantabunt: Deo gratias!



ART. III.

BASIS ET CENTRUM AMORIS IN SOLA FIDE CATHOLICA.

In sola fide catholica vera remedia existere per Sacramenta, quibus anima sive super basem suam i.e. Deum ponitur, uti fit in Baptismate; sive ad Deum reducitur, uti fit in Pœnitentia; sive ad Centrum suum amorem suum mittit, uti fit in Eucharistia; præclari medici contestantur.

„Religio Catholica duos vectes habet, qui multos salvaverunt, et hi duo vectes sunt: confessio et monasterium. Fortasse ridebunt multi metaphysici Germaniæ et alii, quorum principium est: nulla veritas existit præter doctrinam nostram, vel: pereant nationes, potius quam unum ex nostris principiis. — Nobis autem, quia unum tantum cordi est, nempe: sanare, ideo obligati sumus, commendare remedium, quod effectum mirandum producit.... Loquimur hic in qualitate medici et observatoris cordis humani. Indicate melius remedium

opponendum tormentis conscientiae, quæ tam frequenter causæ sunt morborum languidorum, hallucinationum, amentiae et suicidii; beati erimus, quando hoc remedium commendare poterimus, tot millibus animarum, quæ consolatione indigent." Ita Dr. Brière. 1)

* *

„Confessio Catholica infallibile remedium præbet contra suicidium..... Provocamus omnes, ad indicandum nobis unum suicidium (excepto casu amentiae) inter eos, qui consuetudinem habuerunt usus Sacramenti Pœnitentiae. Homo qui impellitur ad suicidium, si tam felix est, ut inveniat confessarium, quisquis sit, in instanti sanatus est. Et hoc in casu nulla exceptio existit, nec ullum exemplum contrarium..... Multos casus asferre possem, in quibus sola confessio sacramentalis prævenit suicidium. Unum tantum asferam. — Juvenem quemdam, in libidine non invenientem beatitudinem, quam ibi quæsiverat, sed e contra fastidium, amaritudinem et tormentum, vitæ tædium cepit; statuit ergo intolerabile illud pondus deponere. Antiquam autem ad mortem progrediretur, singulari animi motu ductus, ingreditur ecclesiam S. Rochi ad confitendum. Nihil dicit de iniquo suo proposito; sed quia confessarius una vice eum ad reconsiliationem cum Deo adducere non potuit, injungit ei, ut post aliquod tempus revertatur. Tunc

1) Du Suicide, p. 617.

pœnitens dicit, se numquam reverti posse. Ad interrogationem confessarii respondet: quia crastina die finem vitæ imponere statui. Tunc confessarius ei ostendit tentationis deceptionem ac criminis magnitudinem. Ecce, ad verba illa fidei oculos aperuit, viditque abyssum in quam certo descendisset; pœnitentia ductus, invocat misericordiam divinam. Tantopere commutatus est animus illius, ut severam, imo severissimam postularet pœnitentiam. Ingreditur monasterium Trappistarum, ibique in austera pœnitentia invenit beatitudinem, quam frustra in libidine quæsiverat. Post quindecim annos, ibi in sancto timore Domini, mortem justorum obivit." Ita Dr. Debreyne. 1)

* *

Si quis veram fidem habet, numquam miseria hujus vitæ, circumstantiæ societatis, etc., eum ad suicidium impellent. Quam injuste Dr. Buchner, (apud Proal. O. C. p. 203) paupertatem et miseriam crimini æquiparaverit, quasi necessario sequeretur ex ipsis, luce clarius patet, ex tot honestis pauperibus, qui pro Christo patienter miseras sufferunt, quinimo ex tot millibus hominum utriusque sexus, qui summam paupertatem voluntarie ob amorem Christi amplectuntur, ut Ejus sequantur vestigia, Qui pauper nasci et nudus in cruce mori voluit. Ut exemplum novum hac in re ob oculos

1) Du Saicide. p. 235.

versetur, in memoriam revoco Benedictum Josephum Labre, olim mendicus, nunc autem inter principes cœlestes.

Ex quindecim infantibus Benedictus natu maximus, a pueritia pietatem et doctrinam dilexit; crescente ætate, crescebat etiam in eo spiritus mortificationis; annis quidem puer, moribus autem senex erat. Post primam communionem incepit partem cibi pauperi dare, cui locum secretum assignaverat. Parentes et avunculus Franciscus Labre, pastor spiritualis parochiæ Erin, juvenem ad sacerdotium informare desiderabant; ipse autem monasterium Trappistarum intrare, toto animo cupiebat. Post multas difficultates, tum a parte parentum, tum a parte ipsius monasterii, voti compoti, Deus revelavit voluntatem Suam: ut tamquam peregrinus pauperrimus sanctuaria mundi visitaret. Numquam in maxime austero monasterio talis paupertas regnavit, qualem Benedictus per quindecim annos amplexus est. Domicilium enim non habuit, ad imitationem Christi: „vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet”; 1) ideo in ruinis ædificiorum, vel juxta sepes brevem somnum capiebat. Quantitas cibi ejus sufficiens tantum erat ad non moriendum, qualitas autem, illa quæ inhæret cibis in sterquilinio missis.

1) L^{re} c. IX, 58.

Si Dr. Büchner huic pauperi occurrisset, statim cogitasset: hic pauper et ignorans necessario crimina patrare debet. O quantopere errasset ille sapiens! Nam primo, Benedictus non erat ignorans, sed in juventute scientiam coluit; insuper in oculis Dei summam sapientiam habuit.

Pauperrimus certo erat, sed omni genere virtutum ornatus, de crimine patrando nequidem cogitans, de criminibus ab aliis patratis amare flebat. Paupertas ipsi non erat impulsio ad suicidium, sed impulsio ad vitam sancte degendam et vita æterna commutandam.

O felix stultus propter Christum! Utinam omnes tali stultitia laborarent, etiam sapiens Büchner, qui de paupertate tam male cogitat! Timendum autem valde, ne sit in numero infinito stultorum, de quo loquitur Ecclesiastes. I. 15.



Quando de fide loquor, veram et catholicam, cum auctoribus citatis, intelligo. Nam fides Protestantica dulcis quidem est pro iis, qui in bonis ducunt vitam suam, sed pro miseris nullam dulcedinem habet. Primi, quamvis in magna præsumptione se prædestinatos putent, et fortiter peccantes, fortius credant se justificatos, mori haud desiderant, juxta illud Eccli: „o mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in sub-

stantiis suis, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum!" 1)

Tales facile comparari possunt cum Mahomedanis et Judæis, qui terrenis inhiantes, vitam terrestrem valde æstimant et raro suicidio finiunt. Sed quando Protestantes miseriæ gravi occurrunt; quando dolor et mœror corpus cum anima affligunt, in tædio illo, ipsum prædestinationis solatium effugere solet, et fiet quod dixit Psalmista: „in miseriis non subsistent." 2) Solatium enim prædestinationis dulciter quidem frui facit omnibus voluptatibus, sed in doloribus spiritus ille de justificatione tacebit. Vere enim spiritus privatus est. Vult autem spirare in delectationibus terrenis, et non vult in afflictionibus, quia ipse felix, non autem infelix spirat sibi prædestinationis gaudium. Et quando Protestans se non amplius prædestinatum credit, quid quæso, eum in vita doloribus ac tædio plena, retinere poterit?

Doctrina Protestantica quæ ex Lutero et Calvino admittit „liberum arbitrium post Adami lapsum esse figmentum"; — „hominem liberum non esse a necessitate"; — „hominem lapsum necessitari absolute ad bonum vel ad malum" 3) — quomodo differt a mala et impia philosophia hujus sæculi, quæ tot miseros ad suicidium duxit?

Jam cl. Bourdaloue (in sermone de prædestinatione),

1) Eccli. XLI, 1. — 2) Ps. CXXXIX. 11. — 3) Cfr. Theol. Wirceb. T. VII, p. 190.

amare deplorat doctrinam Lutheri et Calvinii, ab una parte, quia per praesumptionem omnibus criminibus viam aperit; ab altera parte, quia insuperabilem desperationem generat. Illis verbis tamquam exempla addere possumus: Ferdinandum van Eckstein et H. Des Amorie van der Hoeven, de quibus dicit D. Rosenthal, quod dubii doloribus suicidio finem imponere, aliquo tempore animo volverint 1). Legoijt indicat causam suicidii in Protestantismo, nempe: spiritum privatum, qui dubia generat et sic facile ad suicidium ducit. E contra de fide Catholica dicit: sanctio ejus maxime efficax est ad coercendum spiritum. 2)

Dr. Brière, postquam egit de frequentia suicidii in paganismo, tum antiquo, tum praesenti, summis laudibus celebrat adventum doctrinae Catholicae, quae gentes instruxit de ejus malitia, et quae in conciliis poenas statuit contra suicidas. Dein dicit: „a saeculo XVI pro- pensio ad suicidium se iterum manifestavit. Quod recruduit, exprobrandum est: studiis antiquitatis, languori fidei, libertati examinis Protestantorum et apologiae suicidii.” 3)

Et revera non mirandum, nam doctrina quae homini permittit fortiter peccare, modo fortius credat; non attendit ad vulnera, quae peccata animae infligunt; non curat passiones, quae enervant animos; talis doctrina

1) Galerij van Ber. Bekeerl. afd. Duitschland. — 2) Legoijt, O. C. p. 204, 205. — 3) Du Suicide, p. 480.

nihil valet ad prohibendum suicidium. Quinimo doctrina Lutheri et Calvinii non tantum invalida est, sed quo melius intelligitur, quo melius ad praxim ducitur, eo certius laqueum parat; nam indirecte incitat ad suicidium.

Si enim credendo, quis indulgere potest passionibus, praesertim stimulo carnis corruptae, et post haec adhuc se praedestinatum sperare ad gloriam; talis fides plures ad interitum ducet, quam meretrix, de qua dicunt Proverbia: „multos vulneratos dejecit, et a qua fortissimi quique interfecti sunt. Cujus domus viæ inferi, penetrantes in inferiora mortis.” 1)

Si quis talia credens, non indulget libidini, doctrina omni ex parte melior est.

Et nunc consule auctores, qui de suicidio scripserunt, et videbis, quantam partem libido in hoc crimine habeat. Merito ergo praesumptionem Protestantismi causam indirectam suicidii dicimus, quia favet omni voluptati illicitæ.

Et ab altera parte, si postquam quis fortiter peccavit, non potest fortius credere? Quid restat nisi: desperatio in qua se putans praedestinatum ad malum, jumentum est, cui insedet Satan vadens quo vult satan, uti docuit Luther. 2)

Si autem satan insederit, scimus quo vult ire: ad

1) Prov. VII. 26, 27. — 2) Cfr. Theol. Wirc, T. VII, p. 191, 50

mortem utique, quæ ex invidia ejus introducta in mundum, amica ejus est, præsertim si desperantes ad gehennam descendere facit. Et sic doctrina Protestantismi etiam in hac parte, nempe: desperatione, causa indirecta est suicidui.

* *
*

Spiritus autem, qui spirat in Ecclesia Catholica, non est privatus, sed Spiritus Sanctus. Mirum certe et ob oppositionem cum Protestantismo maxime animadvertendum, spirat quidem prout vult, sed in Ecclesia Catholica præsertim vult spirare, in terrena tristitia, in afflictione ac persecutione. Ad invocationem fidelium: „Veni Sancte Spiritus.... Pater pauperum..... in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium”, fortitudo occupat animum.

Spiritus ille Sanctus erga peccatum committendum, quantum horrorem; de commissis, quantam contritionem infundit! Quanta cum benignitate peccato vulneratos, ex Sacramentis tamquam fontibus gratiarum, medicinis efficacibus sanat! Det nobis Protestantismus unum exemplum innocentiae conservatæ, pro tot imitatoribus S. Aloysii in Ecclesia Catholica. — Det nobis unum exemplum voti castitatis, pro innumerabilibus qui hoc emiserunt vel emittunt in Ecclesia Catholica. — Nullibi quam in Ecclesia Catholica, tantus horror pro peccato carnali existit; nullibi tanta datur gloria pro continentia. —

Ergo, nullibi suicidium, quod tam frequenter sequitur ex libidine, tam efficaci modo indirecto oppugnatur.

Et quis Catholicus, qui fidem adhuc habet, desperare poterit in Ecclesia, ubi Augustinus ex maximo peccatore in sanctum conversus fuit; in Ecclesia, ubi desperatio condemnatur, quia Jesus Christus pro omnibus mortuus, omnium salutem desiderat; in Ecclesia, ubi tot Sacrificia sanctissima quotidie pro peccatoribus Deo offeruntur; in Ecclesia, ubi tot animæ justæ, cum Sanctis in cœlo, orationes ante Deum effundunt, pro conversione peccatorum. — Ergo, etiam ex hac parte, Ecclesia Catholica suicidium desperationis indirecte oppugnat.

* *

In Ecclesia illa, quæ dicitur militans in terra, permitte Deo, tum ex parte mundi, tum ex parte diaboli, tanta ét interna, ét externa sæpe existit pressura, ut merito cum Eccl^e, exclamari possit: „risum reputavi errorem, et gaudio dixi: cur frustra deciperis?“ 1) — Sed semper in medio Ecclesiæ præsens manet, qui dixit: „Venite ad Me, omnes qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos.“

Quando anima afflicta ante Illum, cum Ecclesia contat:

„O salutaris hostia,
Quæ cœli pandis ostium:
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.“

1) Eccl. II. 2.
TRACTATUS.

Tunc omnis desperatio dissolvitur sancta resignatione
quæ sequitur :

„Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria :
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.”

Dum increduli tædio vitæ agitati, sicut olim Giacomo Leopardi († 1839), exclamant: „O si tantum alicubi, sive in cœlo, sive in terra, sive in profundo maris, existeret aliquis, non dico miserans, sed saltem spectator malorum,” 1) — fideles in Sanctissima Eucharistia habent, non tantum spectatorem dolorum, sed Illum qui :

„Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium
Se regnans dat in præmium.”

* * *

NOTA. Apostolus in sua ad Corinthios epistola, dicit: „omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam..... Castigo corpus meum et in servitutem redigo.” 2) Etiam hodie mundus coronas promittit cursoribus et velocipedibus, summisque laudibus extollit, eos, qui non tantum ab omnibus se abstinent, sed, uti in diariis hodie legi potest, vitam exponunt

1) Ap. Mgr. Baunard, *Le doute*, p. 364. — 2) I, Cor. IX, 25, 27.

ultimo periculo, quia ut corruptibilem coronam obtineant, nervos suos nimis intendunt. — Eos autem, qui S. Paulum sequuntur et, ad obtinendam incorruptibilem coronam, castigunt corpus suum, eos dico, accusat de suicidio indirecto. — Et ad probandam accusationem exempla affert Sanctorum, quorum abstinenciam, inspiratione divina inceptam et miraculo protractam, Ecclesia non ad imitationem proponit, sed ad ostendendum, quam mirabilis Deus sit in Sanctis Suis.

Disciplinam autem Ecclesiæ, quæ discretionem plenam, semper circumstantiis personarum et temporis accommodata est, in quantum molesta est, improbant, plane ignorantes verbum Veritatis: „Qui abstinens est adjiciet vitam” et „propter crapulam multi obierunt.” Eccⁱ XXXVII, 34.



PARS IV.
De ultimo remedio.





Homo superbia peccat, manet autem in peccato desperatione; postquam Deum contempsit, ad Deum accedere timet. Cum Adam adhuc esset in paradiso, post peccatum se abscondit, et ad vocem Dei: Adam ubi es? ad Deum accedere non est ausus, eo quod nudus esset. — Postquam vero Deus Adamum de paradiso ejecit, timor pro Deo, adhæsit omnibus filiis Adami.

Cum Christi nativitas pastoribus annuntiaretur, et angelus Domini staret juxta eos, timore magno timuerunt.

Primum autem quod dixit ille Angelus fuit: „nolite timere.” — Christus enim venit, non ut homines timore erga Deum repletet, sed ut eos amore ad Deum traheret.

Ut hunc timorem pro Deo excuteret, sub forma parvuli in stabulo exponi et tamquam fabri filius inter populum laborare voluit. Et cum tamquam magnus prædicator inter populum publice procederet, quam amabilem Deum depinxit in parabolis: boni pastoris, patris recipientis filium prodigum; quam benignus erat erga miseros; quam affabilis erga maximos peccatores,

ita ut merito dicere potuerit: „discite a Me, quia mitis sum et humilis corde.”

S. Paulus hæc omnia indicat, dicens: „Semetipsum exinanivit.” 1)

Idem autem Christus, Qui tamquam magnus medicus venerat, ad vnlnera humanitatis sananda; Qui, postquam omnia Sua in medicinam dederat, in coena et in cruce Semetipsum maximam medicinam addidit, tamen nunquam rapinam arbitratus est esse Se æqualem Deo. Sed hæc ipsa deitas, quæ quidem abundat in misericordia, iustitiam vero abnegare nequit, magno Medico impedimentum fuit, ad omnem timorem pellendum.

Cum moriens in cruce penderet, Cor Ejus desideravit omnes homines salvos facere; quum autem iustitiam divinam deponere non posset, quasi inermem illam reddidit, dicendo matri Suæ, quæ juxta crucem lacrymosa stetit: „mulier, ecce filius tuus”; quibus verbis totum genus humanum visceribus ejus maternis commendavit; discipulo autem, et in discipulo omnibus nobis, matrem Suam dedit, ut ad illam tamquam ad matrem nostram accedere possemus, verbis: „ecce mater tua.”

* * *

Si Adam nudus ad vocem Dei se abscondit, quanto magis illi, qui in superbia sua omnem notitiam Dei,

1) Phil. II. 7.

tamquam jugum molestum excusserunt, et libidine vulnerati in corpore, insuper cum tædio vulnera animæ aspiciunt, se abscondent, quando de Deo ad illos loquimur.

Etsi cum eloquentia Christum Salvatorem mansuetum et mitem describeremus; etsi Crucifixi amoris vulnera manu artificis depingeremus; post sermonem adhuc timor pro iudice verba sua addet et sub pictura scribet: iudex crederis esse venturus.

Quomodo ergo ad spem erigere poterimus eos, qui tam afflicti sunt ut desperantes currant ad sepulchrum?

* * *

Ast in historia generis humani celebratur teneritudo, cujus lacrymæ omnem animum movent; teneritudo, quæ omne iudicium ad sententiam absolutionis suadet; teneritudo, quæ omnia potest præterquam condemnare: animus maternus.

„Homo surdis auribus esse potest ad omnem sermonem, duroque corde ad omne nomen; unum verbum semper auribus percipit, una dictio semper eum commovet: mater! Homo omnia ex animo delere potest, etiam Deum; matris autem suæ oblivisci non potest: inter maximas cordis ruinas, imago matris mole sua stat.” 1)

Dr. Laurent, qui scripsit de criminosi, dicit: „nihilominus apud illos invenies adhuc amorem pro matre.”

1) P. Félix, Confér. VI.

Terribile monstrum, anarchista Emile Henri, cum mater eum in carcere visitaret, amoris signa ipsi dare non recusavit.

Et hoc etiam dici potest de amore spirituali hominis erga matrem suam Mariam, quod sequens exemplum probat.

Homo quidam, cujus juveniles anni pietate et scientia ornati fuerant; qui prius seminarium, tunc congregationem, demum Trappistarum monasterium intraverat, sed propter incertæ mentis levitatem et mobile pectus, valedicens consiliis Evangelicis, præmia militiæ pulverulenta præferens, Napoleonem I secutus est.

Post bellum in loco S.*** commoratus est, ibique matrimonium iniit. Mox autem orbatus fuit conjuge, quæ præ dolore et vexationibus mariti, immaturam mortem subiit. Ille autem impietatis mole gravatus Deum negavit, ac in furore suo imagines et cruces in ignem misit, sed non imaginem B. M. Virginis. Quum aliquis eum de hac re interrogaret, dixit: „quia mater mea est.” 1)

* * *

Sæpe hodie nobis sermo erit ad illos, qui taedio vitæ laborantes ac desperantes, de Deo audire nihil volunt, quia timent judicia Ejus.

Utamur ergo illo affectu erga matrem naturalem, quem fere semper in cordibus eorum adhuc inveniemus,

1) Huguet. *Dév. à Marie*, T. I. p. 488.

ut eos attentos reddamus, et sic sensim ad matrem spiritualem, ac per illam ad Deum reducamus.

Ipsa Scriptura Sacra quam pulchra exempla amoris materni nobis præbet, ut colloquium ab illis exordium sumere possit!

Librum Genesis aperientes, in capite XXI nobis jam occurrit mulier, quæ ejecta, cum Ismæle errat in solitudine Bersabee. „Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant. Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere, dixit enim: non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit.” — Quare? quia mater ejus erat.

Et Respha illa, apud cadavera Armoni et Miphiboseth, qui a Gabaonitis in monte crucifixi fuerant, super petram sedens, non dimittens aves lacerare per diem, neque bestias per noctem; nonne mater eorum erat? 1)

Et quænam illa mulier, de qua dicitur: „per fenestram respiciens ululabat: et de cœnaculo loquebatur: cur moratur regredi: currus ejus?” Est mater Sisaræ, nesciens filium suum a muliere occisum fuisse. 2)

Cujus fuerunt irremediabiles lacrymæ illæ, de quibus mentio fit in libro Tobiaë? Fuerunt lacrymæ matris Tobiaë, quæ, quia statuto die non reverteretur, „nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circum-

1) II, Reg. XXI, 13. — 2) Jud. V. 28.

spiciebat et circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur.”

Et mulieres illæ, de quibus sermo in libro Regum, quarum una in sinu suo tenet cadaver pueri; alia puerum ægrotantem super genua sua tenet, usque ad meridiem, quando animam emisit 1) An necessarium addere: quia matres erant?

Et nunc lubet ante oculos ponere filium unicum tenerimæ et nobilissimæ matris.

Erat ille filius speciosus forma præ filiis hominum, mansuetus et mitis corde. Sed quia veritati testimonium perhibebat, multum odium peperit. Calumniatus innocenter traditur inimicis suis, qui illum flagellant, faciem ejus conspuunt, spinis caput ejus coronant et ad mortem crucis condemnant.

Ecce, bajulans sibi in humeris dilaniatis crucem, exivit in locum supplicii, derelictus ab omnibus amicis.

Tunc autem illi obviam venit mater ejus. Quamvis omnes eum haberent despectum ac novissimum virorum, et putarent eum quasi leprosum ac percussum a Deo; — illam tamen non puduit, tunc præsertim ostendere affectum maternum, cum inimici eum tamquam canes circumdarent. Nec dereliquit eum, sed secuta est eum ad locum supplicii, et cum in cruce clavis affixus penderet, stabat juxta crucem lacrymosa. Postquam autem

1) III Reg. XVII, 19, — IV Reg. IV, 19.

emiserat spiritum, suscepit eum, et super genua sua tenuit corpus ejus.



Post hanc descriptionem materni amoris, a desperante petere possemus: Quænam ex omnibus hisce matribus maxime illi placeat? Non enim dubitandum, quin ultimam assignet. Interrogemus eum dein: si in manibus ultimæ matris medicinæ tum pro corpore, tum pro anima positæ fuissent, an timeret ad illam accedere? An desperaret, si sciret matrem illam cum benignitate eum tamquam filium recepturam?

Si Catholicus est, statim intelliget; cognoscit enim et Filium et Matrem. Ab infantia enim agnovit Matrem Filii Dei, sub cruce etiam matrem suam factam.

Si Protestans est, Filium et Matrem Ejus cognoscet, sed matrem suam non agnoscet.

Si incredulus est, fortasse cum Victor Hugo dicet: ad somnium subridemus („on sourit de ce qu'on rêve").

Sed omnes illos exemplis cogere possumus, ut potentiam et indulgentiam matris Mariæ agnoscant.



Pro illis qui turpi cupidine capti sunt.

Mathilda de Nédonchel, nata Parisiis 1842, a primis annis pia fuit erga Deum, sed natura tam iracunda, ut

ad minimam contrarietatem amare fleret, ac res obvias per cubiculum projiceret. Quia autem putabat, sororem suam plus diligere a parentibus, tristitia magna animum ejus occupavit. Accidit autem anno ætatis octavo, quum sola circa domum in horto, inertis passu incederet, ut multa dura tristi corde revolveret, dicens: „Ad quid adhuc diutius viverem? — Nata sum in malum proprium ac parentum! — Plus quam dare possum, a me requirunt; semper me instigant ad me corrigendum, sed eheu, plurima jam frustra conata sum! — Quia totus mundus patitur et ego inter primos patior, nonne ideo melius est, doloribus finem imponere?” — Tunc horribilis cogitatio suicidii in mentem venit, statimque manus movet ad plantam lethiferam aconitum, ut veneno ejus periret.

In illo momento apparuit ipsi Sanctissima Virgo Maria, et prohibuit manum ejus.

Eadem puella iracunda, tædio vitæ repleta, in omnibus afflictionibus suis dein ad dulcem illam Matrem confugit, ita quidem, ut post multa certamina spiritualia, virtutes heroicas exercens, sancto fine quieverit anno 1867. 1)



Huguet narrat: juvenem nobilis familiæ, tantopere vilibus suis passionibus indulsisse, ut eum puderet vitæ. Pudor eum duxit ad vitæ contemptum; ideo statuit intra

1) Ex opere L. Laplace. *Histoire d'une âme*. p. 1—14.

viginti quatuor horas, mortem voluntariam quærere. Currente brevi hoc tempore, per amicum occurrentem invitatur, ad visitationem monasterii proximi Trappistarum (Aiguebelle). Cum monasterium intrasset, audiit monachos illos cantantes: „Salve Regina, mater misericordiæ.”

O quantopere tunc agitabatur anima illa..... infantiae devotionem erga Matrem Mariam, mente volvit, simul cum proposito præsenti suicidii..... Audit interim ultima verba: „o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.” -- Tunc lacrymarum flumen ex oculis ejus erupit..... vitae finem imponet, sed non amplius vitae naturali, sed peccaminosæ. Gratia Dei adjutus, Trappistarum monasterium intrat, ibique sancte vivit. 1)



Pro illis quos nulla movet religio.

Georgius Fredericus Daumer ex odio Christianismi Judaismum amplexus fuit. Notum est, quam impias blasphemias contra Christum evomuerit. Idem autem in incredulitate captus fuit pulchritudine Virginis, quam post Christum S. Ecclesia summo honore prosequitur. Ideo ex animo reverenti carmina blanda proveniunt, in quibus Virginem celebrat: „Sanctam, præclaram, pul-

1) Ex opere Huguet, La dév. à Marie T. I. p. 264.

chram, potentem, fidelem, amabilem et cœlestem mulierem." Dein vocat eam „Matrem ad quam suspiramus."

An ergo Daumer ad veritatem jam inclinabat? Nequaquam; nam virginem Mariam laudibus efferebat, sicut deam paganismi celebrasset; quod enim Christianismum attinet, hunc sepulchro condere voluisset.

Idem narratur de Reinhold Baumstark, qui etiam in incredulitate sua carminibus celebravit Mariam: „Sanctam et puram, imaginem pulchræ dilectionis." Veritatem autem et medicinam pro animæ doloribus, non quæsit in Maria, quia non ex fide carmina proveniebant; medicinam autem quæsit apud Spinozam et Hegel, apud quos non inveniens, amaro animo exclamavit: „quorsum tendere debeo?"

Hæc duo exempla probant, quam apte, etiam maxime incredulis, proponere possimus invocationem B. M. Virginis, cujus pulchritudo ac dulcedo, illectatio esse potest, ducendi illos ad Illum, Qui per Mariam omnes nos attraxit.

Sicut cogitatio de lasciva Venere sepulchrum est pietatis ac laetae innocentiae, sic a contrario, cogitatio de purissima Virgine sepulchrum impietati ac atrae desperationi fodere incipit.

Nam Georgius Daumer in testo Assumptionis B. M. Virginis anni 1858, cum in ecclesia quam intraverat, audisset chorum cantantem Litanias Lauretanæ, gratia divina sicut alter Paulus illustratus, in fletum erum-

pens, ad Christum, Medicum animarum, poenitens venit. 1)

Reinhold Baumstark, postquam a philosophia, dein ab historia balsamum pro animi doloribus frustra petiverat, poeta Mariae agitatus et jactatus, demum ad veram Ecclesiam appulit anno 1869. 2)

* *

„Orasti pro infelicibus illis cantatoribus, o Maria, et in fine fere omnes ad fidem convertisti!”

Hæc verba Leonis Gautier, Ephemeris Universitæ Cathol, merito applicat alii poetæ, nempe: Boccace (1313—1375), qui etiam ex barathro iniquitatis respiciens ad Mariam, carmen querulum scripsit, in quo eam invocavit: „Stellam maris, quæ nautas dirigit, rectamque indicat viam..... bonam Virginem, spem suam.” 3)

* *

Fortasse increduli joculari incipient de nostra bona fide, qua eos ad cultum B. M. Virginis adducere conamur, sicut jocatus est Alphonsus Ratisbonne. Remedium autem, si adhibere volunt, superabit derisum infeliciū.

Theodorus de Bussiere, ipse conversus ad Catholicismum, Alphonso jactanti impietatem et incredulitatem, objecit: si spiritus tuus tam fortis est ac illuminatus, non

1) Cfr. Vigouroux. La Bible et les déc. mod. I, p. 71 et D. Rosenthal. Galerij van Ber. Bekeerl. Afd. Deutschland. G. Daumer, p. 1—43. — 2) Cfr. D. Rosenthal, Ibid. R. Baumstark p. 240—274. — 3) Univ. Cath. T. XVIII. p. 49.

timebis certe, experimentum capere innocuum. Quodnam, dixit Alphonsus? Tunc Theodorus dedit ipsi numisma B. M. Virginis, ut illud super se gestaret. Statim Alphonsus in risum solutus est; accepit vero, præsertim ut apud amicos risum excitaret.

Cum autem paulo post viseret ecclesiam S. Andreae, ibique solus circumspiceret, apparuit ipsi B. M. Virgo. Tunc Alphonsus non amplius risit, sed dolore et amore commotus, lacrymas abundantes effudit. 1)

Siegmund Henrici, cujus mens jam multo tempore incerto fluitans errore vagabatur, morbo nervoso consumptus, testante medico, morti proximus erat. Tunc apud semetipsum dixit: nunc experimentum capiam, utrum intercessio B. M. Virginis, sicut dicunt Catholici, in cœlo operetur, quando in terra illam invoco. Tunc ter oravit: Ave Maria; et statim exoptatum signum salutis, cujus absentia medicum desperare fecerat, nempe sudor pinguis, aderat. Et non tantum salutem corporis recepit, sed animæ morbus dono fidei expulsus fuit. 2)



1) D. Rosenthal O. C. afd. Frankrijk. A. Rastib. p. 304—313. —
2) " " " " " Deutschland. S. Henrici p. 248.

Pro illis qui præjudicia habent contra cultum B. M. Virginis.

Quamquam maxima pars Protestantorum omnem fidem abjecit; tamen difficilius quam incredulos, adducere illos poterimus, ut in animi doloribus remedium quærant apud Matrem Dei, quia ex præjudiciis infantiae cultum B. M. Virginis idololatriam quamdam reputant.

A fortiori remedium acceptare timebunt, si adhuc in Christum credunt, putantes nempe injuriam Christo, unico Mediatori inferre, invocando intercessionem Matris Ejus.

Prius ergo hoc præjudicium oppugnandum erit. Hoc autem, eodem modo fieri poterit, quo factum fuisse a Catholico apud Protestantem Angliæ, narrat P. Toussaint Dufour. 1)

Catholicus interrogans juvenem illum dixit; an tu honoras B. M. Virginem? Nequaquam, respondit juvenis; ante solum Deum preces effundo. Catholicus dein: Maria, nonne Mater Dei est? Et ille: indubitanter, nam concepit et peperit filium, qui est Deus. — Tunc Catholicus: si veniens ad regem ad postulandum aliquam gratiam, certus esses te illam recepturum, si per matrem ejus efflagitares; nonne ad illam confugeres? Non hæsitarem, dixit Anglus. — Jam vero, continuat alter, Maria, uti

1) O. C. p. 204 — 206.

ipse confessus es, Mater est Regis regum; in hac qualitate sedet ad dextram Ejus, honorata amore Ejus divino. Si ergo venerans eam tamquam Matrem Dei, rogas illam votum tuum exhibere Filio suo; nonne in intercessione hujus augustæ Dominæ, majorem spei haberes rationem? Nihil magis verum est, respondit ille; numquam hoc animo occurrit. — Post hæc Anglus non recusavit dicere: Ave Maria, et accipere numisma in quo erat imago Matris Dei. Paulo post aperuit oculos et vidit veritatem Ecclesiæ Catholicæ, quam cum summa lætitia amplexus est.



Si autem non, sicut Anglus, conclusionem faciunt, sed invocare perhorrescunt propter præjudicia, tunc utiliter iis proponere poterimus exemplum sequens, quod habet D. Rosenthal. 1)

Nathanæl Thajjer, videns jam in Ecclesiæ Catholicæ doctrina remedium pro animi sui doloribus, timuit tamen, uti ipse postea confessus est, honorare B. M. Virginem. „Cum invocare incipiebam B. M. Virginem, non sine horrore feci. Prius me ad Jesum Christum converti, declarans: me non velle honorare nisi Ipsum, et me velle id facere, interveniente Sancta Ejus Matre; precans Illum, non imputare mihi idololatriam, quam ex toto corde repudio.” — Sub hac cautela accessit ad Matrem

1) O. C. afd. Amerika, N. Thayer p. 48 - 72.

Mariam, dicens: „Si non est malum auxilium tuum efflagitare, adjuva me in miserabili statu, in quo vivo.”

Ecce, post illam orationem ad Mariam, facta est tranquillitas magna in anima illa, in qua motus magnus erat. Ad veram fidem pervenit; dein in omnibus suis necessitatibus confugiit ad Matrem Dei.

* * *

O si omnes desperantes, omnes qui taedio vitae afficiuntur legerent sermonem, quem habuit magnus orator Dupanloup, occasione Baptismi Alphonsi Ratisbonne, cujus conversionem ad fidem supra narraui.

In sermone illo allocutus est Alphonsum, interrogans eum: „dic nobis, quis es tu? Unde venis? Cur hodie venisti ad haereditatem nostram? Quis te ad nos duxit?... Quæ est ista?

Effari quidem nescio, ast linguam continere non licet.... O Maria, amabilitatem et magnitudinem tuam depingere non valeo, et gaudium mihi est, si sub hoc onere corruo, sed quia mihi sermo est ad infantes tuos, qui fratres mei sunt in fide, intrepide dicam cogitationes cordis mei.

Senes vidi, qui, postquam per sexaginta, octoginta annos sine fide, sine virtute vixerant, in lecto doloris, cum audirent nomen tuum, ad Deum conversi sunt.... O Maria, tu es Mater Salvatoris;..... tu es soror nostra, sicut nos, filia Adami, quamvis non particeps tristis

hæreditatis nostræ (peccati originalis); dolores nostri maximam tuam attrahunt miserationem.

O Maria, tu es maximum opus omnipotentiae Dei! Tu speculum bonitatis Ejus.... Tu facundum hortamen, ut curramus ad misericordiam Ejus!

O Deus, da oculos illis, qui cæci sunt, ut videant Mariam, et perspiciant dulcem confidentiam quam excitat vultus ejus maternus; da iis cor, quod quærat Mariam amare; nam a Maria ad Verbum æternum; a Maria ad Pulchritudinem semper antiquam et semper novam; a Maria ad Lumen increatum, quod oculos infirmos recreat, omneque animæ desiderium tranquillat; a Maria ad Jesum, a Matre ad Filium, unus tantummodo passus faciendus est." 1)



Post hæc magni oratoris verba, desperantibus non amplius difficile erit, desperantis poetæ preces effundere, supplicibusque votis dulcem Matrem venerari.



Ex oratione Petrarchæ poetæ.

„O Virgo, oculos tuos pulchros, qui lacrymantes dira viderunt vulnera in membris dilecti Filii tui, converte ad me, agitatum et consilii inopem, qui a te consilium

1) Cfr. D. Rosenthal, O. C. afd. Frankrijk. A. Ratisb. p. 330—333.

peto..... Fac me dignum veniæ; hoc enim tu potes, quæ sine fine beata, coronata es in regno æterno..... Virgo, stella hujus maris tumultuosi, vide, qua solus horrida verser in tempestate; hora jam est ultimum jactandi clamorem. In te autem anima mea confidit. Peccatrix est, confiteor o Virgo; sed peto a te, ne inimicus tuus materiam risus inveniat in doloribus meis.

O Virgo, quot jam lacrymas effudi!..... Postquam juxta flumen Arnum vitales auras recepi, curis ingentibus æger, in dolore continuo vixi.... Virgo sancta et misericors, ne moram facias, nam fortasse in ultimo versor vitæ tempore. Dies meæ tamquam rapidum telum per peccata et miseras cursarunt et sola mors me manet.... O Virgo unica et eximia, cor meum sentit stimulum conscientiæ ac mortis aculeum. Commenda me Filio tuo, vero homini et vero Deo, ut extremum halitum meum suscipiat, et pacem mihi donet." 1)



Conclusio.

In libro Genesis narratur: „Erat terra labii unius et sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habue-

1) Eph. Univ. Cath. T. XVIII p. 47—48.

runtque lateres pro saxis et bitumen pro cæmento: et dixerunt; Venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus..... et dixit: Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus.... confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem."

* *
*

Absurda eos sensisse, præsertim auctore Nemrod, negari nequit; quinimo audaciæ et superbiæ ædificantes accusat, S. Joannes Chrys. 1)

Semper quidem scientia impia simile quid molita fuit, sed numquam melius philosophos incredulos comparare potuimus cum ædificantibus turrim Babelicam, postquam relictæ omni metaphysica, physicam („tamquam lateres pro saxis et bitumen pro cæmento") adhibent ad ædificandum turrim scientiæ, cujus culmen pertingat ad cælum; non ad videndum et adorandum Deum, sed ad Illum e cœlis detrudendum. 2)

Sicut autem olim confusum fuit labium universæ terræ, sic etiam hodie homines non amplius se invicem intelligunt; quisque enim impius insanit, novo modo debellandi Deum.

1) In libr. Gen. hom. 30. — 2) Cfr. de contemptu metaphysicæ. Duilhé O. C. p. 49 seq.

Sicut postquam partem turris ædificaverant, Deus Sese ostendit; sic etiam hodie, postquam turris scientiæ physiciæ partem absolverunt, ubique apparet Deus. — „Deus, Quem negant, Quem ex scholis et societate fugant, Quem certamine atroci oppugnant, in omni conclusione Sese manifestat; et hoc tam luculenter, ut non possint, non exclamare cum Linné: vidi et obstupii.” 1)

Præsertim ultimis hisce temporibus, verba hæc audimus ex ore eorum, qui scientiæ incredulæ principes reputantur: „vidi et obstupui.” — Timor autem hic, non est filialis sed irrequietus, tristis ac mœstus, confusionem maximam efficiens.



Juxta traditionem turris Babelica ædificata fuit in Borsippa, ubi magnæ ruinæ demonstrantur, sub nomine Birs-Nimrud. Super has ruinas anno 1865, intrepidus sacerdos missionarius, Pater ordinis Carmelitorum, in loco eminentissimo, tamquam pacis symbolum, posuit statuam Beatissimæ Virginis Mariæ, ut Mater Dei occuparet terram illam, quæ testis fuit rebellionis filiorum matris Evæ. 2.)



Ecce, turris quam scientia moderna et impia ædificare voluit, in cujus culmine humanitas ad beatitudinem

1) Duilhé, O. C. p. 161. — 2) Cfr. Vigouroux, La Bible et les Déc. mod. T. I. p. 323.

pertingeret, nimis caduca apparet. Venerunt turbæ, ascenderunt partem jam constructam ad videndum paradisum promissum; sed quorsum oculos conjiciunt, non vident nisi eruptiones dynamiticas vel meliniticas, et valde timent, ne ipsa scientiæ turris, nondum perfecta, flammivoma fiat.

Sicut autem sacerdos super ruinas Babelicas posuit imaginem Matris Dei; sic senex, ætate quidem frigidus, amore autem erga genus humanum flagrans et ardens, jam per annos multos, omni qua potuit occasione, laboravit, ut imaginem Sedis Sapientiæ, Matris Filii Dei et filiorum hominum, supra ruinas impiæ ac lethiferæ scientiæ erigat.

Genus humanum per Mariam Christum, Vitam et Resurrectionem, primum recepit; non nisi per Mariam iterum recipiet.

O utinam infelices hujus sæculi, qui jmoerentes ad sepulchrum jam conjiciunt oculos, aures haberent audiendi vocem illam Leonis XIII!





INDEX.



Prooemium.	5
------------	---

PARS I. 9

DE SUICIDIO HOMINIS AMENTIS.

Non omne suicidium patrat in amentia,

Lex haereditatis.

An anima immediata a Deo creatur?

An omnes animae aequae perfectae?

Quomodo explicanda dispositio ad certa vitia?

A quibus haec haereditas recipitur?

Quando haec haereditas apparet?

An lex haereditatis certa?

Quid illam incertam reddit?

An lex illa liberum arbitrium tollit; quare non?

An existit criminosus natus?

Quare criminosi fere semper in crimina recidunt?

An crimina omnia excusari non possunt propter insaniam
moralem?

An suicidium haereditarium esse potest?

An existit idea impulsiva ad suicidium?

Caput Exodi XX et Caput Ezechielis XVIII.

INDEX.

In dijudicanda culpa attendenda circumstantia: quis.	
An astutia, qua quis media adhibet ad suicidium, indicium rationis est?	
Circumstantia ubi.	43
Circumstantia quare.	43
An suicidium ex taedio est amentiae indicium?	
Circumstantia quomodo.	50

PARS II. 51

DE SUICIDIO HOMINIS SANÆ MENTIS.

CAPUT I. 53

De tentatione suicidii.

Triplici ex causa oriri potest. — Exempla Sanctorum, qui cum hac tentatione pugnaverunt. — Suicidia Donatistarum. — Quare hodie tam multi hac tentatione vexantur. — Haec tentatio gradatim procedit.

CAPUT II. 68

De vera et falsa fortitudine.

Exempla falsae fortitudinis: Caubet. — Uxor Hoffmann. — Dr. Tanner. — Quid vera fortitudo? — An justi opus habent fortitudine?

CAPUT III. 76

De vera et falsa magnanimitate.

Differentia inter magnanimitatem Jansenistarum et Sanctorum. — Lutheri et S. Francisci Assisiensis. — Napoleonis I et Davidis. — J. J. Rousseau et S. Augustini.

CAPUT IV. 84

De vera et falsa patientia.

Patientia vera juxta S. Thomam. — Patientia Stoicorum. — Differentia inter Thalem, Gordianum et S. Lidwinam, S. Felicitatem.

CAPUT V. 94

Educatio in illis qui se occidunt.

Institutio impia et neutralis viam aperiunt suicidio, sive directe, sive indirecte. — Scientia impia problema doloris solvere non potest, nec philosophia sua, nec astronomia nova Flammarionis. Exemplum E. de Genoude. — De ignorantia in suicidio.

CAPUT VI. 114

De impulsu ad suicidium.

Quomodo admitti potest ex inspiratione Dei — in quantum ex tentatione diaboli? An admitti potest insuperabilis extra amentiam?

PARS III. 123

DE REMEDIIS PRO ILLIS QUI INCLINATIONEM
SENTIUNT AD SUICIDIUM.

CAPUT I. 125

Remedia naturalia.

CAPUT II. 129

De remediis supernaturalibus.

INDEX.

ART. I.	129
Basis amoris.	
ART. II.	135
Centrum animarum.	
ART. III.	152
Basis et centrum in sola fide catholica.	
PARS IV.	165
DE ULTIMO REMEDIO.	



Apud eundem editorem :

V. A. SPRENGERS, Rector aan het Krankzinnigen-
gesticht „Voorburg.” Verhandeling over de droef-
geestigheid en hare genezing, met verschillende
voorbeelden opgehelderd. f 0,65; fr. 1,30.

JOS. AERTNYS. C. SS. R. Theologia moralis juxta
doctrinam S. Alphonsi de Liguori, Tomi II, Editio
tertia f 5,—; fr. 10.

Idem. Fasciculus Theologiae moralis, tractans: 1^o de
occasionariis et recidivis, 2^o de usu matrimonii.
Editio quarta.

Idem. Theologia pastoralis, complectens practicam
institutionem confessarii. Editio altera
f 1,50; fr. 3,—

Idem. Caeremoniale solemnum functionum juxta
Liturgiam Romanam f 1,50; fr. 3,—

J. NUYTS. R. K. Pr. Verzameling van uitgelezen
Preeken en Conferentiën voor Bestuurders van de
Broederschap der H. Familie. 2 gr. dln in 8^o
f 4,—; fr. 8,—
gebonden f 5,—; „ 10,—

Idem. Onderrichtingen en Preeken over de voor-
naamste punten der Katholieke Geloofs- en Ze-
deleer, 3 gr. dln in 8^o f 4,50; fr. 9,—
gebonden „ 6,—; „ 12,—